

Y b
1306

N, 88.

ORATIONES
DUAE ET EPIGRAMMATA
QUAEDAM DE INITIIS
VULGAE SCOLAE.

AUSPICIIS ET MUNIFICENTIA
D. MAXIMILIANI
Imp. Augusti,

ET CURA, SOLLICITUDINE,
ac sumptu inclyti Senatus
Gorlicensis extractae &
instauratae

PETRO VINCENTIO VRATISL.
*Pie doctrinae & optimarum artium
in hac Professore ac primo
Rectore.*

GORLICIAE

ANNO

M. D. LXV.



ΕΙΧΗ ΜΟΥΣΩΝ
τῶν γορλουσαίων.

Ἄρισε πάντων χρισέ τῶν ἀρχηγῶν
ἐκκλησιάσε σῶτορ ἀγνῆς ἀλκιμε
ἕψισε καὶ νεογυλαίων διδάσκαλε:
ἡμῶν φύλαξον εὐσαθῶς προσήγορον
συρράξασιν μαρνάμενον δυστρόποις
θεοῖο τοῖς ἀντισεύδοσι λόγοιο:
οἰκητόρων ἀντίλαβε Ἐ πολίσματα
κοσμῶντ' ἀγνὰ ματαίων σκηνύδρια
γορλουσαίων νιχαίαν ἀμφ' ὑπώρησαν:
ἠδὲ σωκράτους σέθεν πρὸς εὐτολίην
σωστικῆς φρόντιζε Ἐ νεωτέρων
τοὺς ἀσκέοντας συλλέγων κασκαμύδες:
Ἄρισε πάντων χρισέ τῶν ἀρχηγῶν
ἐκκλησιάσε σῶτορ ἀγνῆς ἀλκιμε
ἕψισε καὶ νεογυλαίων διδάσκαλε.

M. Laur. Lud.



AMPLISSI-
MIS VIRIS SAPIEN-
TIA ERUDITIONE ET
virtute præstantibus D. Consuli, Se-
nioribus, Syndico, & toti Senatui in-
clytæ Reipub. GORLICENSIS,
Dominis, patronis & amicis
cum fide & obseruantia
colendis,

PETRVS VINCENTIVS
VRATISLAVIENSIS, PIÆ DO-
ctrinæ & optimarum literarum Pro-
fessor, ac nouæ Scola Rector I.

S. P. D.

IN maximis miserijs & confusioni-
bus infinitis rerum humanarum,
quas in extrema mundi senectâ sub-
inde grauiores fore, & Filius DEI
prædixit, & euentu ipso experitur
Orbis terrarum, sed omnium maxi-
me quidem sentiunt p̄i in Ecclesiâ,
quorum animos fatalis illa *ἀνεξάντητος*
extremas pœnas & antecedens & atra-
trahens

A 2

trahens

P R A E F A T I O.

trahens non penitus oppressit: vna, sola, vera, immota & efficax consolatio est, quam ob oculos positam & animis semper infixam esse oportebat, de conseruatione Ecclesiae, & DEI praesentia atq; efficacia in coetu piorum, quamuis exiguo, arumoso, squalido, atq; contempto ferè à maxima reliqui generis humani multitudine.

Crescat sanè, quantum queat, potentia Mahometica, cuius acinaces videntur iam iam imminere ceruicibus piorum, & saeuiant in Ecclesiam, quantum volent, Tyranni pariter & Hypocritæ, qui praetextu nominis ac tituli Ecclesiae, quem falso sibi arrogant, crudelibus supplicijs sanctos homines trucidant in multis Europæ regnis & regionibus, deniq; in illo exiguo septentrionis angulo, qui patet factam diuinitus Euangelij lucem ac doctrinam vtcunq; retinet ac profitetur, laboret sane & moliatur Diabolus, & contendat, vt solet, furore quanto

P R A E F A T I O.

quanto potest maximo ferendis scan-
dalis facietatis, fastidij & contemptus
doctrinae de DEO & ipsius voluntas-
te, & misceat omnia confusionibus
sursum & deorsum, ita vt iam etiam
ante oculos appareat illa facies mun-
di, qua vix vllam in terris fidem se in-
uenturum CHRISTVS multo ante
questus est, tamen mansura est aliqua
vera Ecclesia DEI, quam ex squalis-
sima generis humani massa eligit
sibi ministerio doctrinae Filius DEI
Dominus noster IESVS CHRIS-
TUS, & eam in hac vita docet ver-
bo Euangelij, sanctificat, regit, tuez-
tur ac protegit inter tetros Diabolo-
rum & hominũ furores & ornat do-
nis ingeniorũ, doctrinae, & eloquen-
tia, necessarijs ad salutarem Euange-
lij propagationem, deniq; conseruat
eam praeter & contra humanae ratio-
nis & sapientiae iudicia mirabiliter,
& conseruabit vsque ad finem colla-
bentis machinae Mundi, quantum-
uis frementibus Diabolis, Tyrannis,

P R A E F A T I O.

Hypocritis, Sophistis, quorum nec
fraudes nec furores nec potentiam
sinit DEVS habere aliquam durabi-
litate.

Siue igitur cœlū ruat & fractus il-
labatur orbis, siue vt olim scripsimus,
Tot secum irrumpens Geticus trahat agmina latro
Vt faciant auida flumina sicca gula.

Et simul igniuomo Babylonica bellua hiatus
Spiret ab Aetneis montibus atra faces.

Flamen & Ausonijs flamas Romanus ab antris
Sulphureas toto torqueat orbe minax.

In fœdusq; ruant tellus, styx, aër, & unda
Aduersus cœtus maxime CHRISTE tuos,

Semper tamen mentes tam in priua-
tis quam in communibus miserijs &
malis, quæ vel ante oculos sunt sum-
ma, vel maiora impendent, erigant
se se & confirment diuinis promissio-
nibus de perpetuitate Ecclesiæ, quæ
etsi hoc præcipue tempore & in sua
quasi senecta squalidissima est, fasti-
dita in omnibus politijs, & toto ferè
orbe, qui sedes huius & domicilium,
esse debebat, exulans: tamen DEO
curæ est, qui hanc vt pupillam oculi
fouet.

P R A E F A T I O.

fouet, custodit, seruat, & tuetur, & in hac vita ei hospicia, victum, praesidia aliqua, & defensionem tribuet.

Sint autem omnibus in conspectu oracula diuinarum promissionum, qualis est illa, Psal. 125. Qui confidunt in Domino, vt mons Syon non commouebuntur, sed in aeternum manebunt, Et in Esaia dicitur de senescente Ecclesia, Qui gestamini manu mea, vsq; ad senectam portabo vos & saluabo. Et Dominus in Euangelio inquit, Portas inferorum non preualituras Ecclesiae, & se vsq; ad seculi consummationem in Ecclesia praesentem futurum esse.

Haec ergo promissiones & commonefaciunt nos de ingenti cura, sollicitudine & amore DEI erga Ecclesiam, qua filius DEI sanguine suo redemit, & simul sunt testimonia quod velit DEVS, non solum vt aliquae Politiae sint tanquam domicilia & templa DEI & Ecclesiae, quod bonum, si quibus contigit, cum nullorum regno-

P R A E F A T I O.

rum splendore, amplitudine, aut dignitate conferendum est, sed etiam, quod illas ipsas Politias, quæ in hac vita peregrinanti Ecclesiæ $\xi\epsilon\nu\omicron\delta' \acute{o}\chi\epsilon\alpha$ præbent, rursus DEVS paterna bonitate complecti, curare, custodire, ditare, augere commodis atq; ornare, & inter fatales ruinas & conuulsiones Regnorum tueri velit, sicut in Euangelio monet Dominus, inquit ens, Facite vobis amicos de Mammona iniquo, vt recipiant vos in æterna tabernacula, Et Psal. 40. dulcissime dicitur, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, Pleni sunt Prophetarum libri, plenæ Christi conciones, plena historiarum monumenta talium promissionum, atq; exemplorum, quorum euentum ac similitudinem aliquo iure sibi posse vendicare atq; applicare, non modo in ærumnis consolatio, sed etiam in omni vita, summa felicitas est.

Mibi

P R A E F A T I O.

Mihi itaq; & sæpe quidem cogi-
tanti de communi patria, et si occur-
runt animo multæ magnæq; difficul-
tates, quæ in hac etiam, vt alijs multis
in locis, cum ipsi temporib; & mun-
di senectâ crescunt, tamen & hoc as-
sidue in mentem venit, eam regionē
quæ hodie Lusatia est ac Silesia, &
apud Cornelium Tacitum commune
Elysiarum nomen habet, vel ob hanc
causam multis amplissimis regnis fe-
liciores esse, quod maxima eius pars
& vrbes præcipuæ sunt sedes veræ
Ecclesiæ DEI, & doctrinam Euan-
gelij sonant DEI beneficio incorru-
ptam annos iam amplius quadragin-
ta, & Scholas habent in quibus doctri-
næ piæ & artium initia dexterius tra-
duntur quam alibi. Quæ quidem
Scholæ quantum sæpe in his regionibus
Ecclesijs præsidium attulerint &
adiumentū, est ante oculos, & prolixè
dici posset. Nec dubito DEVM huic
patriæ nostræ etiam deinceps benig-
nè facturum, & communes calamita-

A 5

tates

P R A E F A T I O.

tates mitigaturum esse, quamdiu ea, Ecclesiae hospitium & commodum diversorium esse, & Scolis quae necessariae de DEO doctrinae & artium optimarum sunt officinae, custodes & propagatrices, omni pietate, officio, fide, integritate, candore, liberalitate fouere studebit.

Qua quidem in re cum laudabile institutum vestrum Amplissimi viri, & conatus praecclarissimus mihi tum adhuc alibi viuenti primū significatus esset, gratulatus sum & antea vobis hunc animū tacita cogitatione, & posteaq; de consilio amicorū, maximeq; viri clarissimi atq; optimi & veteris amicitiae vsu mihi coniunctissimi M. Georgij Ottomanni Syndici Reipub. vestrae ad instauratae a vobis Scolae gubernationem primus vocatus sum, DEO & vobis parui sine recusatione, in eaq; re meam erga communem patriam & honestissimam Rempub. vestram voluntatem, cum honorifico iudicio coniunctam duabus

P R A E F A T I O.

bus Orationibus declarare conatus sum. Quarum editionem cum amici flagitarent, nec volui nec debui odiose repugnare, praesertim cum & Reipub. & mea interesse existimarēt publicari hanc nouæ Scolæ recentem apertionem scripto aliquo eiusmodi, quo & Amplitudinis vestrae pium atque honestissimū consilium & in excitandis & iuuandis doctrinae studijs propositū atq; institutū exteris significaretur, & simul amicis meis, quos per Germaniam viros doctrinae nomine claros DEI beneficio plurimos habeo, meæ ex Academia Vuitebergensi migrationis ratio constaret.

Vtrumq; autem horum cuiusmodi sit, cognoscent quibus curæ erit, aut libebit, ex his duabus orationibus, quæ sunt tanquam primitiæ mei in hoc negotio laboris, Quarum vtramq; auspicio clarissimi ornatissimiq; nominis vestri, viri amplissimi, euulgatas ac publici iuris factas, vobis primum omnium & inclytæ Reipub.

pub.

P R A E F A T I O.

pub. vestrae tanquam nouarum operarum & frugum ἀπαρχὰς offero & confecro, & à vestra Amplitudine peto, studio quanto possum maximo, vt qualem cunq; significationem meae erga communem patriam ac vestram praecipue Rempub. voluntatis, fidei, obseruantiae & pietatis, pro vestra sapientia & humanitate in optimam partem accipiatis, & negocium Scolasticum ad DEI gloriam & honestissimarum literarum atq; artium propagationem spe successus optimi inchoatum, vestra beneuolentia, studio, et liberalitate, quemadmodum coepistis & facturos deinceps dubitare non debemus, benigne prosequamini. Scitis, n. Musas benignitate & beneficentia excitari, & virtutem atq; artes honoribus ali, vt Cicero dixit, & Pindari illud de omnium negotiorum incrementis non minus verum quam venustum dictum est τιμὰ τὰ πρᾶγματα κρείσσονα ποιεῖ.

In eo facietis officium & amplissimo ordine vestro dignissimum, & vestro Reip.

P R A E F A T I O.

ro Reip. vestrae saluberrimum, vel ea ipsa de causa, Quia DEVS Ecclesiae suae curam gerens & eam conseruans non poterit non & vobis benefacere, qui & pars Ecclesiae estis & in iuuandis atq; ornandis studijs doctrinae nulli aut operae aut sumptui parcere decreuistis. Maxima multitudinis pars non intelligit neq; considerat DEI dona & remunerationes, Ideo & de causis donorum DEI peruerse iudicat, sed pii ac sapientes satis sciunt, quod, vt vetus Eremita dixit, DEO seruire sit regnare, & Ecclesiae benefacere verè sit, beneficium accipere.

De me vero quid aliud pollicear nisi me iuuante DEO cum Collegis daturum operam, vt & doctrinae de DEO, & artium dicendi ac linguarum & Philosophiae initia, atq; vsum tradendis & praceptionibus, & exemplis, desumptis ex Oratorum & Poëtarum vtriusq; linguae selectis, & ad discensium ingenia, aetatem & captum accommodatis scriptis doceamus fide-
liter,

P R A E F A T I O

liter, propositis etiam exercitijs dicendi, scribendi & disputandi, & adhibita morum disciplina pueritiæ & iuuenili ætati conueniente atq; utili.

Et si autem ea à nobis instituta est doctrinæ publicæ ratio, vt adulti etiam & nonnulli ætate prouecti, si qui operas exercitiorum nostrorum accesserint, frugem facturi videantur, nos tamen potissimã iuuentutis rationẽ habituros esse palàm profite mur, memores præcepti saluberrimi quod in Platonis Eutyphrone scriptum est, cum inquit sapientissimus Socrates, ὁρθῶς ὄσι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, ὅπως ἔσονται ὅτι ἀριστοί, ὡς ποδῶ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἶκθαι πρῶτον ἐπιμεληθῆναι. μετὰ δὲ τῆτο καὶ τῶν ἄλλων.

Filium autem DEI DOMINUM nostrum IESUM CHRISTVM custodem Ecclesiæ ardenter oro, vt & inclytam Imp. Maiestatem DIVVM Max. Aemylianum D. nostrum clementissimum, cuius munificentia prima huius Scolæ tecta domumque acceptam

P R A E F A T I O.

acceptam omnes referimus, clementer seruet ad communē Orbis Christiani salutem, & V. Amplitud. ac totam Rempub. huius vrbis & in hac mediocriter constitutā Ecclesiam & Scolam sospitet, prouehat, & gubernet, ac efficiat vt operę nostrę in Ecclesia & Scola sint ipsi D E O gratae & iuuentuti ac posteritati salutare. Datae ex noua Scola inclytę vrbis Gorlicij, quę vox Lusatię seu Elysiorum montem atq; arcem significat. Anno à nato saluatore M. D. L X V. Die Matthęi Apostoli quę erat natalis Friderici III. Austrię Ducis Imp. qui D. Maximiliani I. pater, Caroli V. & Ferdinandi I. Impp. proauus, & Diui Maximiliani II. abauus fuit ante annos CL.



EYXH

Conuerfa è Græco.

OCHRISTE Dux ducū omniū longè optime
Ecclesiæ seruator inuictissime
Seolastici supreme Doctor agminis.
Nostrum gregem constanter adsere & serua
Conflictibus qui pugnat usq; acerrimis
Verbiq; sese opponit hostibus, DEI
Defende ciues Remq; publicam Musis
Fuguriola instaurantem, amœnioribus
Vbi Nissa montes alluit Lusatiæ
Hic agmen ad mandata confluens tua
Docentium discentiumq; collige
Et id manu paterna semper protege
OCHRISTE Dux ducum omnium fortissime
Ecclesiæ seruator inuictissime
Infantium Magister integerrime.

Iohan. Terbeck Dantiscanus.



Oratio
QVA EX INE
CLYTA ACADEMIA
VVITEBERGENSI DISCE
dens valedixit,

PETRVS VINCENTIVS
VRATISLAVIENSIS

*Piæ doctrinæ & optimarum artium
Professor publ.*

QUod Socratem discessurum e
vita dixisse accepimus δ' ἔμ τὸν
ἀγαθὸν ἀνδρα εἰς εὐφημίᾳ πελδύτων, id
ego migraturus hoc tempore ex A
cademia, quæ mihi non paulò carior
est, quam vita Socrati fuisse scribitur,
multo maxime faciendum existimo,
vt & Reipub. atq; amicis εὐφροσύνη, &
iuuentuti salutaria quædam in præ
sentia dicam. Quod antequam insti
tuo facere, quoniam & præposterarum
suspitiones de meo discessu multorū
animis concipi, & in vulgus spargi
varios sermones cognoui, pauca que
dam

B

dam

dam de meo in Academiam reditu
ante annos ferè nouem, & de præ
senti migratione præfabor. Ita enim
futurum confido, vt et de mea perpe
tua & constanti erga Rempub. vo
luntate, quæ obscura nunquam fuit,
& præsentibus consilijs meis omni
bus qui scire volent, plenius constet
atq; vberius, & leuissimæ suspiciones
ac sparsi passim sermunculi sua vani
tate diluantur & consilescant.

Elapsi sunt anni octo & menses
fere totidem, cum ex inclyta vrbe Lu
beca in hanc Academiam quietis &
studiorum causa redij, impetrata ad
modum difficulter à prudentissimo
istius Reipub. Senatu discedendi po
testate. Nam Lubecam vocatus ex
Academia Pomeranica, in qua annos
sex docueram publice & priuatim,
rexi postea studia doctrinæ literariæ
in ea inclyta vrbe, & ei functioni
quod sine arrogancia dictum volo,
DEO iuuante conatos meos ita præ
fui, vt & Senatus & præcipuorum in
ea Repub. ordinum, & honestissimoz
rum

rum ciuium beneuolentia et liberalitas, nunquam ab eo tempore à me dissimulata, sed vt par est crebris meis sermonibus vbiq; locorum commemorata, extaret mirifica atque singularis.

Sed præter causas discessus mei ex vrbe & reditus in Academiã hoc ipso in loco olim à me commemoratas, fuit hæc ferè præcipua, quod ortum temporis docentium in his terris tristissima animorum dissensione, cuius fax erat τάγμα Βλακῶδες, cum hæc scola & præcipue tum dux huius, quem honoris & religiosæ pietatis causa nomino, PHILIPPVS MELANTHON speciosis ad vulgus calumnijs per totam Saxoniam, in qua tunc viuebam, sparsis, nescio defectionis cuius & corruptæ doctrinæ falsò insimularetur, multorum animi qui hanc Academiam diligebant, tristissima sollicitudine & mœrore adficerentur ac penè contabescerent. Ac cerni tunc potuit in præstantibus multis hominibus, quod sapientissis

B 2 mus

mus Rex & Prophetā Salomon mon-
net, calumnia perturbari sapientes &
perdi corda benefica. Memini enim
multos sapientes ac minime malos
homines illud Menandri tum cogi-
tare tum dicere, οὐ δ' εἶ διαβολῆς κατα-
φρονεῖν, οὐδ' ἄν σφόδρα εἶκ' ἔβουδ' ηἶς. In illis
autem emissitijs pagellis, quibus tum
& aularū & vulgi vellicabantur au-
riculæ à Flaciana cohorte, simul di-
sputationes magni momenti in Ec-
clesiæ doctrina non quidem explica-
bantur, sed mouebantur tantum, vt
προσώπων speciosiore suspectæ redde-
rentur & Ecclesiæ harum regionum
& Scolæ, de quibus, cum essent mihi
cum pijs amicis crebræ & ferè quoti-
dianæ colloctiones, quibus tamen
nec ipsis nobis, nec morosè contradi-
centib, in explicatione satisfacere po-
teramus, quod nec nihil nec omnia
esse commenta Flacica multi vt fit su-
spicarentur: ego quidem cogitans
sepe, me illhic hospitem de rebus tur-
bulentis, & proprie ad meam fun-
ctionem nō pertinentibus oportere,
vt in

vt in veteri versu dicitur, $\Sigma\gamma\alpha\rho\ \mu\eta\ \mu\eta\ \kappa\epsilon\kappa\rho\alpha\gamma\acute{\epsilon}\nu\alpha\iota$, nec interim tamen veritatis inquisitionem mihi meo loco deponendam esse, de ijs præsertim materijs doctrinæ, de quibus $\kappa\rho\sigma\tau\omicron\theta\omicron\alpha\ \rho\upsilon\beta\omicron\varsigma$ passim excitaretur, collegi tandem ipse me & sæpe multumq; ab inclyto Senatu, cuius nunquam nisi honorificam mentionem à me fieri decet, petita discedendi facultate, ac denique cum bona gratia impetrata, Illustrissimi etiam principis ac D. D. IOHANNIS ALBERTI Ducis Megapolensis, &c. Domini mei clementissimi, quem ipsum etiam honoris & subiectissimæ obseruantię & gratitudinis causa nomino, & Senatus Lubecensis, ac amicorum quorundam præcipuorum munificentia & honorificis donis hospitalibus, & omni ab eo tempore grata commemoratione à me prædicatis, tanquam viatico, instructus, audivissime in Academiam, quam ab ineunte pueritia dilexeram, decimo quarto post meum ex hac discessum anno remigraui, nullo pror-

sus alio consilio, quam vt & tot anno-
rum labori, quot erudiendę iuuentu-
ri in Saxonıa impenderam, quietem
aliquam in dulcissimo studiorum o-
cio ac λώφησιν interponerem, & si-
mul PHILIPPVM MELANTHO-
NEM κύκνον ἄσμα canentem in sene-
cta audirem, ab eoq; ipso, quem a
multis annis sciebam, qua animi in-
nocentia & quantus vir esset, nō tam
de istorum temporum motibus ve-
ram historiā, quā de multis doctri-
næ sacrosanctæ Religionis nostræ
articulis, quæ vellem quæq; me sæpe
suspensum animo iudicioque tenuis-
sent, coram in vsu familiarioris con-
suetudinis, ad quam ille humanissime
bonos omnes quidem, sed in senecta
præcipue amicos ἀνυποκρίτους admit-
tebat, propius cognoscerem, idq; fac-
cerem tum mei ipsius erudiendı tum
alios, quocunq; tandem locorum DEI
voluntate vocatus essem, confirman-
dı causa. Hanc mihi veram ac penē
solam discedendı ex vrbe Lubeca &
huc remigrandi causam fuisse nō du-
bito,

bíto, quin de indicatione tum nostra
meminerit etiam hodie Illustrissimus
princeps Megapolensis, & scit incluz
tus Senatus vrbis Lubecæ, ac conscij
mihí sunt honesti amici, quorum ple
rique nunc etiam in vrbe Lubecensi
præcipuis eius Reipub. honoribus au
cti, sunt superstites, & vt diu sint DE
V^o M oro. Nec aliud tum in his terris
quæsiui aut expectaui, ac ne potui
quidem, sed accepi fructum dulcissiz
mum migrationis meæ ex quotidiana
na ac pene domestica cum D. præce
ptore PHILIPPO & alijs doctis viris
consuetudine, colloquijs, & conuictu
pleno doctrinæ, plenoq; præstantis
simarum virtutum, veritatis, indu
striæ, pietatis, beneficentiæ, humani
tatis & patientiæ iniuriarum etiam
grauissimarũ exemplis, quibus cum
neq; fucatum aliquid neq; simulatum
subesse meridiana luce clarius esset,
grata erga DEVM & homines men
te agnoscebam, datam mihí rei opta
tissimæ oportunitatem, & dulcissimo
meo ocio fruebar audiens assidue ali

B 4 quid

quid & discens, quo & erudiri animus
meum & confirmari iudicium
mirifice gaudebā, ac re ipsa experie-
bar, PHILIPPVM vere esse non mo-
do quod ex Euripidis carmine de So-
crate Attica vetustas dixit, τὰν πάν-
σοφον τὰν μηδὲν ἀλγυνῶσαν ἀκρόννα μισῶν,
sed etiam in explicanda veritate do-
ctrinae coelestis ἀριστον καὶ θεότατον ἀν-
δρα τὸ σοφώτατον διηγήτῳ οὐρανίης διδασ-
χῆς ἐν ἀνθρώπων γενεῇ, τῶν αἰῶνων. Etsi
autem tunc etiam valde dolebam la-
befactari mihi & quodammodo in-
teruerti quorundam praecipuorū pa-
tronorum pristinam benignitatem et
benevolentiam calumnijs eorum po-
tissimum, vt quidem postea comperi,
qui & PHILIPPVM non modo sine
causa ac praeter meritum sua quadam
scelerata rabie inflammati, sed & om-
nes bonos à suae factionis societate
abhorrentes, qualē me & esse & fuis-
se & deinceps iuuante DEO fore pro-
fitebar, vt nunc etiam profiteor, ode-
rant, tamen aegritudinem animi le-
uabam hac cogitatione, quod mihi
persuas-

persuadebam, bonos viros vbiq; terrarum, cognita aliquando vefania istius, quæ seipsam deniq; rabie sua evertit, factiosæ conspirationis, etiam sponte alienationē animorū suorum facile mutatuos esse, Ἀμέρσαι γὰρ ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφωτάτοι, vt Pindarus cecinit, vel potius vt Dominus qui ipsa veritas est in Euangelio inquit: οὐδεὶς ὄβρι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, ἀλλὰ κρυπτόν, ὃ οὐ γνωθήσεται. Nec sane fefellit spem nostram euentus, si quidem postea multi, quorum animi clamoribus audacissimarum calumniarum auersi ab hac Scola & nobis omnibus fuerant, & ad se & ad nos redierunt, de quo non est necesse dicere plura in præsentia.

Redeo igitur ad illud meum dulcissimū de quo dixi ocium, quod non fuit mihi diuturnū. Accidit .n. paulò post, vt erepto rebus humanis, et euocato ad cœlestis vitæ æternitatē, viro doctissimo et optimo Antonio Vualthero Academię professore, ad societatem operarum publicarum à præ-

B 5 cepto

ceptoribus adsciscerer, quibus etsi me
ingenij doctrinaeque viribus plane im-
parem esse animaduvertebam, partem
tamen onerum publicorum mihi im-
poni passus sum, quod ea res & ad fa-
miliariorum & diuturniorum usum
consuetudinis cum carissimo Prece-
ptore, quo cum omne tempus vitae li-
bens posuissem, aliquid momenti &
commoditatis habitura videretur. Et
si autem interea temporis sepe ad ho-
norificas conditiones & viuentem pre-
ceptore & postea vocatus sum, me ta-
men hinc auelli nec precio nec precis
bus passus sum, idque cum primis tristi
illo & luctuoso Academiae tempore,
quo recens ad DEVM euocato prin-
cipe Scolae PHILIPPO, pia memo-
ria, etiam infimi cuiusque, qualem ego
me esse libens agnosco, discessus vel
proiecti vel inclinati status Reipub.
opinionem fidemque vulgo facturum vi-
debatur. Itaque tum, ut & voluntatem
optimam, & de Reipub. fiduciam bo-
nam meo loco ostenderem, non so-
lum in officio pristino mansi libens
ter,

ter, sed etiam domicilium mihi in oppido tanquam sedem reliquæ vitæ & fortunarū comparavi. Etsi autem in me ad pristini status, et eius qui nunc est, DEI beneficio conseruationem parum fortasse momenti positū fuisse ipse facile concedo, non ignarus imbecillitatis ingenij mei, de quo multo verius versus illos vsurpare possum quam Ouidius:

*Inuida me spacijs natura coercuit arctis,
Ingenij vires exiguasq; dedit,*

Et ob hanc causam sine vlllo singulari Reipub. detrimento commoditatibus priuatis seruiſſe poteram, semper tamen existimaui, bonum virum eo animo præditum esse oportere, vt publicam vel necessitatē vel utilitatem, etiam eam, quæ talis fortasse non sit, sed opinione hominum esse existimetur, omnibus priuatarum fortunarū & dignitatum rationibus antezferendam esse statuatur. Hanc habens infixā animo ὑπόθεσιν in statione mea mansi, ac feci cum alijs nonnum fere iam annum scolasticas operas, qua debui.

debui fide & potui adſiduitate, præle-
gendis Græcis & Latinis ſcriptorib.
& repetenda Dialectica atq; Ethica
doctrina, nec defugi vel tædia vel dif-
ficultates earum operarum quæ mihi
præter voluntatem impoſitæ inter-
dum fuerunt. Eſt & cum præter Sco-
læ operas concionum publicarum a-
liquam partem authoritate & rogatu
eorum quibus negare aliquid non
fas eſſe ducebam, nihil neq; ambiens
neq; captans, ſuſtinuerim annum fe-
rè integrum. Ac Magiſtratus ſcola-
ſticos, in quibus facile omnium con-
feſſione his hominum moribus plus
oneris eſt & moleſtiarū quam digni-
tatis, cum mihi à præceptorib. & col-
legis impoſerentur, pro fortunarū
mearum tenuitate ita gerere conatus
ſum, vt me quod citra arrogantiam
dixerim, fidem & integritatem Reip.
atq; Academiæ, quam oportuit, pro-
baſſe confidam. Deniq; fretus recti
conſcietia facile cōtempſi odia, quib.
bus me non pauci veteres amici, ſed
tamen βλακίζοντες, etiam apud principi-
pes

pes viros, quorū aliquando egregia
erga me & clementissīma extitisset
benignitas, pregrauabāt, calumniōsis
sermonibus exagitata mea cum hac
Academia & praeceptoribus institu-
ta & suscepta necessitudine in com-
munium laborum & familiaris con-
uictus societate. Quae quidem
commemoratio non ideo à me insti-
tuta est, vt officia aliqua mea aut me-
rita, quorum tenuitatem ipse satis ag-
nosco, ambitiose praedicem, sed vt de
mea recta & perpetua in Rempub.
voluntate testatum faciam, quae eius-
modi semper fuit & nunc etiam est,
vt haecenus, cum saepe mihi per ami-
cos conditiones, quae & dignitatis &
comoditatis plurimum haberent, of-
ferentur, nullae earum aliquo Acade-
miae necessario tempore me hinc au-
uellere potuerint.

Ac ne nunc quidem aliter essem
animatus, si quod DEVS auertat, dis-
scensionem meam cum aliquo Reipub.
incommodo coniunctam esse, in
statu Academiae DEI benignitate
prae-

præclaro & eruditissimorum hominū
num summa frequentia florente, sus-
spicari possem. Id cum longe se aliter
habeat, non arbitror magnopere mihi
hi laborandū esse in ea orationis par-
te, qua migrationis hoc tempore in-
stitutæ causas bonis omnib. probem.
Quod etsi à me in Academiae Senatu
atq; confessu, eo quo oportuit modo
maxima ex parte factum est, tamen
de iisdem, ne verear etiam publice al-
iquid dicere, earum rectitudo & ve-
ritas mihi persuadent, vt cum redi-
tus mei in Academiam occasiones, et
diutinæ mansionis rationem reddi-
derim, discessionis etiam causas om-
nibus notas esse facile paciā, de quib.
bus vt me dicturum breuiter consue-
ta æquanimitate & beneuolentia au-
diatis, amanter oro.

Quintus iam mensis vertitur, cum
honestissimum meæ & patrię & aui-
tæ Regionis municipiū, inclytus Se-
natus & Respub. Gorlicensis per in-
ternuncios & literis mihi significa-
rūt, dolere sibi vehementer, eam quæ
sit an-

lit ante omnium oculos studiorū do-
ctrinæ & Scholarum in patria & vicini-
nis regionibus ruinam, seseq; suo lo-
co paratos esse, si quo modo ea fulciri
possit, pro re præsentī facere omnia
quæ à bonis & patriæ ac posteritatis
amantibus ciuibus requiri possint.
Eius rei vt documentum aliquod ex-
taret, sese ad aperiendam ciuibus suis
& vicinis nouam Scolam, impetrasse
ab Imperatoriâ Maiestate Monaste-
rium quoddam commodissimo loco
in vrbs ferè medio situm, vbi Colle-
gium doctrinæ pietatis & artium li-
beralium erudiendæ & educandæ a-
dolescentiæ *ἢ παυδ'εία καὶ νοθεσία κυρίδ,*
vt Paulus præcipit, instituere decre-
uissent. Ea vero in re se consilium
præcipue meū atq; operam tanquam
ciuis, quem communis patriæ pera-
mantē cognouissent, singulariter ex-
petere ostenderunt, meq; ad eius bo-
narum & piarum literarum atq; artiū
Collegij instauracionem & gubernac-
tionē literis grauitè benigneq; scri-
ptis amanter inuitauerunt,

Hic

Hic verò multa me cogitantem de
horū temporum difficultatibus, de iu-
uenilis ætatis effreni passim licentia
ac petulantia, deq̃ mea iam ingraue-
scente ætate, nō tam quietem, quæ vix
vlli homini contingere in tantis re-
rum humanarū confusionibus potest,
quam λώφησις aliquam requirente, vi-
cit secundum diuinę vocationis con-
siderationem, vt vno verbo dicam,
dulcissimæ patriæ caritas, quæ vt à
Platone grauissimè dictum est, ortus
nostri partem potissimam merito sibi
vendicat, & vt Cicero ait, Omnes
omnium caritates vna complectitur,
& ita vicit, vt ei quidem flagitanti
auxiliū et operā meam, vt ciuis sui, in
labore necessario atq̃ honestissimo,
& à studijs meis minimè alieno, qua-
lescunq̃ essent viriculę meæ, quas fa-
tis intelligo quam sint exiguę, diffici-
lem me aut morosum præbere, plane
nec vellem nec possem. Præclare
enim vt alia, ita & hoc & dixit & sen-
sit Praxithea Attica virago, cum pe-
tenti patriæ filiam Reginae vnicam
ad sacris

ad sacrificium pro cōmuni salute re-
spondit versibus optimis quidē, atq;
à Domino PHILIPPO ad hunc mo-
dum Latinis factis:

*Si quis beneficium daturus patriæ est
Id gratius fit, liberali pectore,
Et sponte cum datur, datum morosius
Lenteq; non habebit ullam gratiam.*

Adfectio autem animi erga patriam
generosa, liberalis, & pia egregie ex-
pressa est his eiusdem Regine verbis:

Ω πάρις εἶθε πάντες οἱ ναῖσαι σε
οὕτω φιλοῖεμ ὡς ἔγω, καὶ γε ῥαδίως
οικοῖμυ ἄν σε, ἢ ἄλλοι ἄν πάροισι κακόν.

Nec vero metuo repræhensionem in
eo, quod & agnosco & libens fateor,
me quo diutius ab ineunte prima a-
dolescentia semper in exteris regio-
nibus vixerim, eo ipso in aggraue-
scente iam ætate patriæ cupidiorum
esse, adeo in me quidem non extincta
est aliqua desuetudine naturalis illa
flamma, qua DEVS omnium bona-
rum mentiū corda erga natalem ter-
ram accendit, vt scilicet hæc ipsa sit
vestigium quoddam ardoris & desir-
derij, quo animos humanos æternæ

C illius

illius patriæ, quæ erit cõsuetudo cum
DEO in vita cœlesti, flagrare oportez
bat. Laudatur Vlysses, qui vt Ho-
merus cecinit,

Ἰέμευθ' ἢ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι,
ἢ γαίης θανέειμ' ἰμφρεῖ, Cum quidem ille
uiuens in delitijs apud pulcherrimam
Nympham affluentia rerum omniũ
& felicitate abundaret, fortasse hac
sola motus adfectione, vel quod iuxta
dictum vetus, ὁ τῆς πατρίδος καπνὸς λαμ-
πρότερος ἢ τῶν ἄλλοις πυρὸς αὐτῷ ἐφῆνατο,
vt in Encomio patriæ Lucianus lo-
quitur, vel quod vnici filij & coniuz-
gis desiderio teneretur. Quanto au-
tem est honestior nostra in patriam
φιλοσοργία, quæ cum recta & sincera
voluntate atq; conatu vel erigendi
studia pietatis & doctrinæ bonarum
artium nostro loco, vel quoquo mo-
do iuuandi pro viribus nostris ad Ec-
clesiæ, Reipub. & posteritatis vtilitaz-
tem serio coniuncta est, præsertim
cum extrema ferè necessitas hac qui-
dem in re omnium bonorum studia,
conatus, et opem implorare videatur.

Nam

Nam & turpiter negligi passim in
tota ferè Germania primè adolescen-
tiæ institutionem in artiū & lingua-
rum Tyrocínio, & disciplinā iuuen-
tutis omnem iacere prostratā & pes-
fundatam, quæ duo mala & in præ-
sentia omnis doctrinæ pietatis & hon-
nestatis secum trahunt ruïnā, & pos-
teritati barbariem plus quam Cyclo-
picā minitantur, id vero adeò est ma-
nifestum atq; conspicuum, vt qui de
eo orationem instituere velit, is ^{ἡλίω φῶς δ' ἀνίξει} videatur, & tamen
tangendo tanto seculi nostri malo
gratiam singularem non sit initurus.

Deplorant hanc infelicitatem om-
nium bonorū & sapientum gemi-
tus & lachrymæ, sed qui medicinam
facere tanto malo possint, rari appa-
rent, & faciunt tamen boni governa-
tores in hac fatali iuuentutis dissolu-
tione, quantum possunt, quorum con-
natibus fauere, et quantum quisq; suo
loco potest, opem ferre debemus. De
quo & ipso non dicam plura, ne cui
de me aliquam maiorem, quàm pro

C 2 re spem

re spem facere posse aut velle videar,
qui & tenuitatis virium mearum, vt
dixi, mihi sum probe conscius, & ad
honestissimæ rei in patria conatum
nihil fere adfero præter optimam &
propensissimam voluntatem, & con-
scientiam industriæ mediocris, atq; fi-
dem, cui diuinam benignitatem in
dandis successibus nõ defuturam esse
cõfido, fretus Apostolica εὐφημία, qua
dicitur, labores Sanctos non esse κένδε
ἐρ κυσίω, vt ad Corinthios scriptum est.
Ac hæc quidem præcipuæ sunt & ve-
ræ causæ meæ in præsentia migratio-
nis, quam vt huic Scolæ nihil incom-
modi allaturam scio & ex animo vo-
lo, ita vt patriæ communi sit aliquo
modo salutaris DEVM toto pectore
oro. Non autem commorabor in hac
orationis parte, Nam reliquas cau-
sas, quarum plures in vno negotio sæ-
pe concurrere solent, omnes comme-
morare aut repetere necesse non est,
cum de illis, vbi, & quib. oportet, me
satisfecisse ac satisfacere posse dein-
ceps confidam. Sed vnum hoc in
præsen-

præsentia addo, me mihi persuasisse,
hanc migrationem meam, eo minus
apud sapientes & bonos habituram
repræhensionis, quod nihil à me sit
nouum aut inusitatum, sed idem sæ-
penumero ab optimis viris, & multò
quàm ego sum, nominis & doctrinæ
fama præstantioribus factū est, vt ex
Academijs ad tempus aliquod con-
stituendarū eiusmodi Scholarum cau-
sa migrauerint. Nec me pueriliter
titillabo Regis Dionysij exemplo,
quem amisso regno Corinthi ludum
literariū aperuisse & gubernasse me-
morix proditum est, Nec Platonis
aut aliorum migrationes recitabo,
Recentia dicam exempla, & quasi
ante oculos posita, Ex hac ipsa Aca-
demia ante annos aliquot vir opti-
mus & doctissimus Hermannus Tu-
lichius ad instaurandā Luneburgen-
sem Scolam profectus est, Fecit idem
Micyllus clarissimi nominis vir, qui
ex Edelbergensi Academia ter Fran-
cophurtum constituendorum neces-
sariorum adolescentiæ studiorū cau-

sa migravit, & in Academiam postea
reclijt. Omitto dicere cum de alijs
multis, tum de Gnaphæo in Regio:
montana Academia, & de D. Came:
rario viro ac iam sene omnium in li:
teris nostris doctissimo, ac Eobano
Hesso, qui olim Erphurdia euocati a:
liquot annos Noribergæ constituta
Scola adolescentiam excellenti sua e:
ruditione imbuerunt. Ac ne sim lon:
gus, in simili labore magna sua cum
laude, sed cum vtilitate patriæ & po:
steritatis, multo maxima versatur et:
iam hodie iam senex, vir clarissimus
& omnium seculorum memoria di:
gnissimus Ioannes Sturmus. Horum
ego virorum præstantissimis perso:
nis, & nominibus merito clarissimis,
etsi meam tenuitatem non confero,
neq; enim debeo, vocationis tamen
& consiliorũ atq; actionum aliquam
similitudinem esse cum appareat, in
eam solummodo partem licere mihi
tantorum virorum exemplis & no:
minibus vti existimo, vt ostendam
me sperare, bonos omnes & mihi ve:
niam

niam daturus esse, quod municipio
dulcissimæ patriæ (quam non solum
ob vicinam Vratislaviam, sed quod
& pater meus, & patruus, atq; auus in
CHRISTO quiescentes & expectan-
tes gloriosam piorū resuscitationem,
ille quidem in ijs locis natus & edu-
catus, hi vero etiā mortui sunt, meri-
to sic nomino) in suscipienda migra-
tione, quæ mihi sine ijs, quas dixi cau-
sis, permolesta atq; grauis, omninoq;
difficilis futura esset, sine cuiusquam
alterius detrimento, vt spero, gratifi-
candum putauī, relicta interim mea
præsenti, quantulacunq; esse, aut vi-
deri cuiquā potest, & quam ego quo-
que feci semper facioq; plurimi, siue
dignitate siue commoditate. Præ-
clare enim & hoc vt alia ferè omnia
PHILIPPVS sanctæ memorię noster
in quadam perbella ad Camerarium
V. claris: Epistola, Nequaquam, in-
quit, existimemus in studiorum no-
strorum exordijs & primis Elemen-
tis versari, aut DEO minus gratum
aut nobis inhonestum esse. Immo hæc

ipsa fundamenta fideliter & accurate
collocemus, super quibus aliquando
aedificia praecleara doctrinae extruan-
tur, ut puer possit perdiscere ea quibus
μετ' ὀλίγου ἀνῆλθ' γενόμενος utatur,
neu requirat tum, ut multis accidit,
quasi ἐφόδιον doctrinae, cum in medio
iam itinere versabitur. Itaque neque me
piguit puerilia studia Grammaticis
praecipitunculis instruere, neque illius
operae pudet.

Tali igitur consilio & hoc tempo-
re decedens à dulcissima studiorum
communiū matre Academia nostra,
& relinquens functionem in hac me-
am, cui praefui qua oportet fide, qua
fieri potuit diligentia & assiduitate,
& fructu quem DEVS largitus est,
ut tandem ad principium & caput ne-
gotij, quod agimus, sese referat ora-
tio, primum omnium in hoc honestis-
simo auditorij confessorum gratias ago
toto pectore patri ἀιδίως λόγῳ ἀιδίως,
& filio λόγῳ Domino nostro I E S U
C H R I S T O, & Spiritui sancto, soli, ve-
ro, aeterno, omnipotenti & benefico

ἡμεῖς

καὶ ἐπιλαβρώπων DEO, quod ex con-
dito à se genere humano, vt omnibus
antehac temporibus, ita nunc etiam
instauratione Euangelij luce sibi colligat
veram & eternis bonis fruituram
in vita æterna Ecclesiam, & ad eius
lucis & doctrinæ agnitionem & ad
Ecclesiæ societatem Ἐκείνων ἀγαθῶν
κοινωνία me quoq; sacrosancti Mini-
sterij voce & in patria & hac Aca-
demia vocauerit, erudierit & confir-
mauerit, quem oro ardentibus vo-
tis, vt eandem doctrinæ lucem ac-
censam in hac primum Scola dein-
ceps etiam immensa bonitate sua in
animis nostris obfignet, conseruet &
augeat, respectu et efficacia sacrosan-
ctæ precatationis Filij vnigeniti Do-
mini nostri IESU CHRISTI redem-
ptoris, quam dixit ante agonem, Pa-
ter sanctifica eos in veritate, SERMO
tuus est veritas. Huius efficacissimæ
intercessionis Filij DEI effectum ad
nos pertinere, vt persuasum nobis sit,
vult ipse Dominus, inquit, Non
oro, pro his tantum qui nunc viuunt,

C 5 sed

sed pro omnibus qui voce eorum erudi-
diti, credent in nomen meum.

Agnosco etiam grata mente &
comemoratione honorifica semper
prædicabo beneficia accepta ab Illu-
strissimo Principe ac Domino, Diuo
AUGUSTO Saxonix Electore, Do-
mino nostro æterna fide colendo,
quod mihi hospiti & in Academia &
Consistorio Ecclesiastico honestū lo-
cum clementis, tribuit atq; concessit,
ac me etiam deinceps in Celsitudinis
sux potestate semper fore, vbicunq;
mei vsus aliquis erit, palam ingenue
& libenter profiteor, et CHRISTVM
Σωτήρα contentione cordis atq; animi
vera & assidua precor, vt & ipsum
Illustris: Principem AUGUSTVM
nutritium Ecclesix, & Serenissimam
de Regio sanguine coniugem, &
& Illustris: vtriusq; sexus sobolem,
& vniuersam Saxonica domus pos-
teritatem sub vmbra alarum suarum
benedictione ac gratia diuinę ac per-
petuę bonitatis suę aduersus mundi
totius, DEO et sanctis principibus inia-
mici,

mici, & aduersus Diabolorum, & hostium omnium rabiem atq; furorem semper augeat, amplificet, protegat & seruet. In hac ipsa autem *ευφημία* & precatatione mea, Illustris: Principes ac Dominos D. fratres Duces Pomeraniae, qui nunc in Academia studiorum causa felicissime versantur, & inclytos ac Generosos Comites & Barones auditores meos, simul comprehendo, quibus omnibus & singulis opto & vitae & studiorum & gubernationis olim suscipiendae curriculum felix & salutare Ecclesiae & Reipub. quae tum demum esse beatae Platoni rectissime visae sunt, cum à Principibus eruditis gubernantur.

Academiae vero matri studiorum, ut dixi & alteri quasi patriae, quibus verbis gratias agam non reperio, ita immensa beneficiorum cogitata multitudo, non iam ad vnius loci aut paucorum hominum coetum, sed ad vniuersi orbis terrarum Ecclesiam redundans, tacito quodam stupore atq; admiratione stylum & linguam dicentis sistit

tis sistit, & quasi comprimit, vt in ea
immorari cogitatione videatur re-
ctius esse, quam inepte multa dicere.
Tua quidem certe PHILIPPE ME-
LANTHON, qui dux olim studiorum
Academiae huius & Princeps, nunc
cum DEO & Angelis & Sanctis om-
nibus pie defunctis in caelo aeuum a-
gis, sancte pater, sancte PHILIPPE,
sancte MELANTHON, tua inquam
memoria semper infixata erit animo
meo, nec maculam vllam admittet,
nec obliuione intermoriatur, sed re-
uiuifcet subinde magis, ac vegeta &
aeternitatis confors erit, cum exuuis
corporis huius depositis, consuetudi-
ne tua in vita caelesti, hoc est, in DEI
patris, CHRISTI filij, & Spiritus san-
cti conspectu, inenarrabili suauitate
fruemur, Tunc & animi nostri grati-
tudo, quae neque officiorum neque ora-
tionis remuneratione exprimi po-
test, conspicua cernetur, & DEO ipsi
cum erit omnia in omnibus sine du-
bitatione grata, & vtrique vel potius
omnibus nobis coram caelesti & glori-
ficata

ficata Ecclesia, vere honorifica futura
est. Interim tamen Dominis præce=
ptoribus & cæteris collegis vniuersis
ac singulis, qui sunt superstites, &
quos Reipub. & Ecclesiæ causa diu o=
mnes superesse, optare debemus, & a=
micis ac benefactoribus meis in Aca=
demia, in oppido, & vicinia, pro pa=
terna beneuolentia & omnib. officijs
benignitatis, quibus in mutua conso=
ciatione & vitæ necessitudine me cõ=
plexi sunt, præsentibus, & absentibus
sine exceptione reuerenter gratias
ago, & similiter DE VMO vero veris vo=
tis, vt Academiam & ipsos seruet in
agnita luce veritatis, & eam ipsam
lucem augeat, nec sinat deleri aut raz=
bie Diabolorum, aut hominum veri=
tati doctrinæ cœlestis aduersantium
siue Tyrannide, siue opinionum præ=
stigijs & Sophistica. Me quoq; polli=
ceor adiutum diuina benignitate τὴν
ἀθανάτην διάνωσιν doctrinæ veritatis tra=
ditæ à Filio DEI, & pia voce ac mini=
sterio præceptorũ propagatæ, & sæ=
pius à me quoq; hoc ipso loco publi=
ca voce

ca voce & confessione palam repetita, bona conscientia custodire & conseruare velle, & huius Academiae, donec à Filij DEI & preceptorum doctrina, quod absit vt vnquam fiat, non recedet, gratum aluminū, ac ciuem & firmum $\pi\delta\alpha\sigma\acute{\alpha}\tau\lambda\omega$ meo loco in omni aeternitate DEO dante perman surum esse. Palam enim profiteor, quod & inter docendum saepe ex me cognitum est, & nunc clara voce repeto, me religiosa mente amplecti Euangelium CHRISTI seu doctrinam Ecclesiae, traditam in Prophetarum, CHRISTI & Apostolorū scriptis concionibus, & repetitā in Symbolis, & Augustana confessione, & declaratam libris & voce ministro rum DEI in templis & Scolis, vt LUTHERI in hac vrbe & aliorum multorum in patria, Noribergae, Pomerania, & tota Saxonia, & nominatim expositam scriptis & viua voce PHILIPPI MELANTHONIS, quem in senecta publice & priuatim mihi audire in summa amicitiae & familiaritatis

tatis necessitudine, cum magna & mirifica animi mei voluptate, & iudicij de multis magnis rebus confirmatione contigisse mirifice lætor. Id enim quanti momenti sit, facile intelliger, qui cogitabit verissime rectissimeque de caligine mentium humanarum à Platone dictum esse, Eos esse beatos, quibus vel in senectâ liceat ad veritatis cognitionem pervenire.

In huius itaque veritatis agnitione, quæ est verbum DEI sine corruptelis *ἡ τῆς πίστεως ἀναλογία*, enarratū & traditum, confirma nos omnes IESU CHRISTE fili DEI, crucifixe pro nobis & resuscitate, obsigna eam in nobis arrhabone tui sancti Spiritus, ut & in hac vita eam sonemus ad DEI gloriam & Ecclesiæ ædificationem, & decessuri è vita singuli eius confessionem & fiduciam retinentes, cohæredes reperiamur filij DEI Domini nostri IESU CHRISTI, iudicaturi corda omnium viventium & mortuorum. Postremo auditoribus meis
reuerent

reuerenter & gratiam debeo & ha-
beo, quod infirmitate ingenij mei &
tenuitate doctrinae quam agnosco,
contenti, satis frequentes ad doctrinae
nostrae operas accesserunt, quod
siue amore siue iudicio factum sit,
(non enim rigide interpono censuram
meam, cum in multis, quaecun-
que tenuitas mea est, vtrumque esse
potuerit) id omne igitur, quidquid
& quantulumcunque est, quod a me
proficisci potuit, opto cum omnium
& singulorum aliqua utilitate con-
iunctum esse, propter gloriam DEI,
& salutem communem, quae certe
his literis ac studijs nostri ordinis &
adiuuatur & propagatur. Quod si-
licet, & fas est etiam nunc me sume-
re aliquam praecipientis authoritatis
em, cum pro officij, quo defungor
ratione, tum pro perpetua mea erga
literariam iuuentutem, vt Ecclesiae
sanctissimum semen, beneuolentia
& amore, hortor adolescentes studio
quanto possum maximo, ad timorem
DEI, & reuerentiam erga praep-
tores, &

res, & ad vitæ modestiam, non eam,
quæ iam vsitata est, & scandalis Ec-
clesiam & Academiâs deformat, sed
quæ & ornet vtrasque, & omnibus
vobis sit salutaris. Ita demum DEVS
& studia vestra fortunabit benignis-
sime, & laus Academiæ erit glorios-
sior, cuius quidem commoda & dig-
nitatem omnes tueri, quantum pos-
sumus, & ornare debemus. Ad vitæ
autem modestiam & DEI timorem,
incitent vos seuerissimæ poenarum
comminationes, quæ sunt expressa
voce cœlesti, Contemnentes me red-
dam contemptos, Item, quia repu-
listi scientiam, repellam te: Deniq̃
Poëtæ illud semper ob oculos omni-
bus & animo inscriptum versetur,
quo iubet, Et sperare DEVM memo-
rem fandi atq̃ nefandi. Quod reli-
quum est in pauca conferam, & ver-
borū, quanto potui, breuissimò com-
pendio vsus, tandem hanc Acade-
miam, & me, meiq̃ memoriã, & vos
omnes DEO & pijs precibus Eccle-
siæ commendo, quibus hoc impetre-

D tur à

tur à benefico DEO, vt omnia, quæ
agimus, prosperè cedant ad gloriam
scilicet DEI & salutarem propaga-
tionem necessariæ doctrinæ, & com-
munem patriæ & posteritatis utilita-
tem, Nec plura dicam, vnum hoc vbi
addidero, quod vsurpat in aliam vr-
bem discessurus Plautinus seruulus,
Bene valete omnes, Bene viui-
te, & bene inter vos dicite,
& mihi absentî
quoq̃.

D I X I.

Vuitebergæ 5. Idus Maias.

ORATIO

ORATIO DE

CONSTITVENDO MI-

NISTERIO DOCENDI IN

SCOLIS DIE INAUGVRATIO-

nis nouæ Scolaë in inclÿta ur-

be GORLICENSI

habita.

A

PETRO VINCENTIO, PIAE

doctrinae Professore, ac Gym-

nasij nouo Rectore.

AΡΧΗΝ ἀπάντων ἢ τέλος πάντα θεῶν,
inquit Senarius Græcus dulcissi-
simæ sententiæ, qua piè recteque mos-
nemur, omnium rerum in vita ges-
rendarum, quas optamus nobis & alijs
salutares esse, principium & finem
constituendum esse DEVM, ni-
mirum vt agnoscamus, eum & vitæ
nostræ autorem & conseruatorem
esse, & successus in vita optatos ac
felices ab eo solo peti & expectari o-
portere, & ad eius gloriam & cele-
brationem omnia consilia, omnes vi-

D 2 tæ nos

tae nostrae actiones & studia referenda esse. Quae pietas cum maxime deceat scolasticos congressus, nos etiam, ut ad religiosae antiquitatis praescriptum actiones nostras quantum possumus, conformemus, & id quod nunc agimus, magis auspiciatum sit & salutare, erectis ad DEVM animis & voce ordiemur a precatatione.

Te igitur omnipotens & vere DEVS, aeternae & vnice pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui te patrefecisti immensa bonitate, & dixisti de filio, Hunc audite, conditor caeli & terrae, angelorum, & hominum, & conseruator, vna cum filio Domino nostro IESV CHRISTO, & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, verax, iuste iudex, caste, misericors, & liberrime custos Ecclesiae tuae, quem inuocarunt patres nostri, Adam, Enoch, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid, Prophetae, Baptista, Apostoli, & omnes sancti in Ecclesia omnium temporum, te inquam ardentibus animorum votis & veris gemitibus inuocamus

mus

mus, miserere nostri, & remitte nos
bis peccata nostra, & iustifica nos per
& propter IESVM CHRISTVM fi-
lium tuum vnigenitū Dominum nos-
trum crucifixum pro nobis & resu-
scitatum, λόγος καὶ εἰκόνα tuum αἰδίου,
καὶ οὐσιώδης, Ἐν ἁρκοθέντα, quem pro
sancta Ecclesia tua Catholica, cuius
& nos membra sumus, languida illa
quidem & infirma, sed tamen mem-
bra, voluisti fieri victimam Ἐ μεσίτω
καὶ ἰκέρτω mirabili consilio & immensa
bonitate, sanctifica corda & animas
nostras Spiritu sancto tuo, rege & do-
ce nos, serua Ecclesiā tuam & nos in
ea forti & inuicta manu tua, defende
et protege politiam imperij Romani,
& Diuum MAXIMILIANVM Im-
peratorem &c. Dominum nostrū cle-
mentissimum, eiq; victoriam largire
contra omnes veræ Ecclesiæ & Im-
perij hostes, Diabolos, & eorū man-
cipia, seu Mahometica, seu Hypocri-
tica quarumcunq; impiarum factio-
num & sectarum, serua etiam hanc
patriam & urbem, & Ecclesiam ac

D 3 Scolam:

Scolam: Cumq; tu præceperis studia
doctrinæ piæ & necessariæ non so-
lum in Ecclesia adutorū hominum,
sed etiam in Scolis pucrilibus, quæ
sunt tuæ Ecclesiæ seminarium & pars
tenerrima tibiq; carissîma, sicut scri-
ptum est: Ex ore infantium & lacten-
tium perfecisti laudem: & tua hæc ô
fili DEI vox est, SINITE PAR-
VULOS VENIRE AD ME, &c. qua
voce & inuitas ad tui agnitionē pue-
rilia agmina, & eis regni cœlestis so-
cietatem expressa & indubitata pro-
missione impertis, oramus te, vt hanc
nouam Scolam studijs doctrinæ &
agnitionis veri DEI Patris, Filij &
Spiritus sancti hodierno die conse-
cratâ, immensa benignitate tua com-
plectaris, & commendatam habeas,
Tu deniq; ô sanctissime & vere om-
nipotens, æterne, & clementissime
DEVS, quemadmodum vbiq; omniū
es, ita & nobis sis Rector summus,
doce nos verbo tuo, quod est veritas,
& Spiritu sancto tuo accende men-
tes & corda nostra, & repulsis Diaboli
lis ca-

lis calumniolis & malis spiritibus, effice, vt operæ, conatus, & studia docentium & discipulorum sint gloriosa sanctissimo nomini tuo, fructuosa verò Ecclesiæ & Politicis, quæ præbent Ecclesiæ hospitium, & vniuersæ posteritati, fac nos sancte DEVS vasa misericordiæ & organa salutaria, semper celebratura immensam sapientiam & bonitatē tuam patefactam verbo in hac vita, & integrè ostendendam in luce vitæ cœlestis, ac fulsuram in nobis in tota æternitate. Simul autem hac inuocatione complectimur omnes pias Academias & Scholas cum aliarum regionum, tum inprimis huius communis patriæ nostræ, & te ô benignissime DEVS oramus per & propter filium tuum cœternum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt etiam in hac patria, in qua tuo potissimum immenso beneficio sonat publica vox Euangelij tui sine corruptelis, & Sacramenta à Filio IESV CHRISTO instituta sunt in legitimo & sacrosancto vsu, &

D 4 medioz

mediocris disciplina est, colligas tibi
perpetuam Ecclesiam, & nos in ea
erudias, serues & protegas.

Hanc precationem & exauditam
esse, & per filium DEI nostrum ve-
rum & optatissimum Musagetem ve-
re efficacem fore non dubitemus, fre-
ti dulcissimis promissionibus diuina
voce traditis, cuiusmodi est illa in E-
saia, cum ait Dominus, Umbra ma-
nus meae protegam te, vt plantes coe-
los, & fundes terram, & in Euangeli-
ca contione dulcissime inquit filius
DEI: Quanto magis pater coelestis
dabit Spiritum sanctum petentibus.

A tali precatione in hoc hone-
stissimo confessu & virorum digni-
tate, honoribus, ac doctrina praestan-
tium corona, & iuuentutis scolasticae
frequentia multo rectius me ordiri
existimo functionem, quae mihi in
praesentia commissa est, quam ab vlla
alia oratione comparata ad ambitio-
sam & inanem eloquentiae ostenta-
tionem, a qua & natura ac voluntate
semper abhorruí, & haec mea iam in-
graua

grauescens ætas magis aliena est, &
verò res, quæ agitur DE I beneficio
in præsentia, non tam orationis ap-
paratum aut splendorem, quam in-
dustriam, fidem, & sedulitatem in a-
gendo flagitat, & tota eiusmodi est
adhuc quidem, vt opera potius huc
nostra, quam oratio conducta esse vis-
deatur. Sed tamen, cum more insti-
tutoq; maiorum introductū sit, vt in
tali congressu tanquam in panegyri
solenniter aliquid dicatur, institutam
& ipse orationem, neque ostentatri-
cem, neque de suscepta functione
ἀκκιστορδύλω, vt vulgo à multis fieri so-
let, sed eam, qua iuuentus scolastica
ad considerationem amplissimi be-
neficii, quod hodierno die auspicio
clementissimæ munificentia D. MA-
XIMILIANI Imp. Augusti, &c. In-
clytus huius vrbis Senatus, pro pater-
na sua de Repub. & posteritate cura
atq; sollicitudine, & suis ciuibus &
exteris, qui vti volent, liberaliter im-
pertit, aliquo modo exuscitetur, &
de gratitudine & obseruantia bene-

D 5

meren

merentibus Principibus ac Magistratibus debita cōmonefiat, & verò mea de communi patria officiosè merendi ostendatur honesta voluntas.

Ita autem existimo & statuo, omnium maximum, & DEO gratissimum, & orbi Christiano ac posteritati fructuosissimum, quod à pio Magistratū civibus ac subditis præstari potest, beneficium esse, Ecclesiæ & Scolarum constitutionem, de quo me paulo plenius dicturum oro ut benigne audiatis.

Fateri necesse est omnes homines & insita naturæ lege & diuina asseueratione conuictos, humanum genus nec ad ocium, nec ad voluptates, nec ad interitum, sed potius immensa sapientia ac bonitate DEI ideo & conditum & deinceps redemptum esse, ut sit imago & templum DEI, DEVM celebrans, quemadmodum in veteri versu dulcissime dictum est:

Exemplumq; DEI quisq; est in imagine parua.

Ideoquē nec aliud esse melius aut maius opus hominis, quam veram

DEI

DEI agnitionem, inuocationem, ac
prædicationem. Ob hanc enim
summam ac præcipuam causam in
prima creatione DEVS sparsit in
mentes humanas radios diuinæ vi-
tæ, lucis, sapientiæ, iustitiæ & cæter-
rarum virtutum, vt essent testimonia
monstrantia DEVM, quod sit & qua-
lis sit, & post lapsum generis huma-
ni immensa misericordia & bonitate
motus, rursus edito certo verbo pate-
fecit Ecclesiæ essentiam & volunta-
tem suam, vt eius agnitione & fiducia
sola, in genere humano restitueretur
amissa imago DEI, lux & vita æterna,
vt expresse ac diserte inquit Filius
DEI, Hæc est vita æterna, vt agno-
scant te verū DEVM & quem misisti
IESVM, esse CHRISTVM.

Hæc est diuina sacrosancti Euan-
gelij sapientia, ignorata & rationi
humanae & Angelis & creaturis om-
nibus ante diuinam patefactionem,
prolata vero ex sinu arcano æterni
patris immediate per λόγον αἰδίου καὶ
ἑσπεύοντος πάντων αἰδίου, & sancita atque
obsignata

obsignata preciosa morte & reuiu-
scentia vnigeniti filij DEI & virgini-
nis, Saluatoris IESV CHRISTI, qui
propter nos homines & propter nos-
tram salutem descendit de caelo, &
HOMO factus est, vt in Symbolo laeta-
canit vniuersa per orbem terrarum
Ecclesia. Hanc DEI sapientiam,
quæ est Iudæis scandalum, gentibus
stultitia, pijs vero verbum salutis &
vitæ, vt sacra loquuntur literæ, vo-
luit extare DEVS & sonare in Eccle-
sia omnium temporum inde vsq; ab
initio lapsus humani, traditam à filio
DEI primis parentibus, à Patribus
propagatam, & libris postea Prophe-
ticis & Apostolicis compræhensam,
nimirum vt ea esset organum à DEO
propositum & norma vnica agnitio-
nis, fiduciæ, dilectionis DEI, deniq;
lucis & vitæ æternæ rursus accen-
dendæ & instaurandæ in hominum
natura.

Ad quod quidem **SVMVM BONS**
num & vere $\alpha\upsilon\tau\omicron\ \alpha\gamma\alpha\theta\omicron\varsigma$, vt ærumno-
sum & iam auersum à DEO homi-
num

num genus facilius perueniret, & in
tanta diuinarum rerum ignoratione
& caligine, quæ peccatum secuta est,
aditum quasi viamque expeditiorem
haberet, immensa iam denuo & quasi
iterata bonitate *ἡ εὐλαβητικὴ θεῶν* sac-
rosanctum Ministerium docendi &
discendi in Ecclesijs & Scolasticis
coetibus, qui quidem Ecclesiarum sunt
prima & tenerrima pars, statim à
condita Paradyso institutum, & ad
omnem generis humani posteritatē,
ita quidem sancitum & confirmatum
est auctoritate diuina, vt huius exer-
citijs, siue ea sint lectio, siue medita-
tio, siue scriptio, seu recitatio qua-
cumq; lingua, ipse DEVS se non so-
lum dato Spiritu sancto efficacem fore
in cordibus piorum amplectentiū
Euangelij promissionem, sed etiam
tanquam in suo domicilio perseue-
ranter habitaturum esse adfirmet, Sic
enim inquit DEVS in Esaia: Spiritus
meus qui est in te, & verba mea quæ
posui in ore tuo, non recedat ubi ore
tuo, nec ab ore seminis tui in æter-
num.

num. Et ipse filius DEI ad studia do-
ctrinae inuitans omnes homines dul-
cissima promissione clamat, Si quis
diligit me, & amplectitur sermones
meos, ego & pater rursus diligemus
eum, & veniemus ad eum & mansio-
nem apud eum faciemus.

Hic mihi se intendat piæ mentis
consideratio, et insistant, et magnitudi-
nem bonorū quæ promittuntur cogi-
tet, DEI scilicet præsentiam, amorem,
efficaciam, & perseverantē ac dulcis-
simam σωσίκοσι. Ω βάρθωλός τδ vt
Apostolus exclamat. Nulla .n. elo-
quentia humana tanta est, aut vnquā
fuit, quæ umbrā tantorum bonorū ex-
primere possit. Vbi .n. DEVS est, ibi
vita, ibi lux, ibi gloria, ibi beatitudo
æterna est, & summa eorū bonorum
omniū, quæ, quia suo fulgore aciem
humanorum oculorū interstringunt,
nec auribus percipi, nec cogitatione
cordiū compræhendi possunt, sed in
hac tanta hominū imbecillitate possi-
dentur interim fide vsq; ad vsurā eo-
rum pleniorē in cœlesti cum DEO
consue-

consuetudine. Promittuntur autē hęc
bona non ocio, non ignauia aut con-
temptui profanorum animorum, quales
sunt viciosę *διαθέσεις* pro dolor in ma-
xima parte generis humani, quod suo
scelere à DEO se auertit, sed amori
potius & indefesso studio, diligentia,
assiduitati, & fidei docentium & di-
scientium doctrinam à filio DEI &
Spiritu sancto traditam, & in monu-
mentis Prophetis & Apostolicis
scriptam, ad cuius cognitionem &
explicationem requiruntur ea adiu-
menta, quę omnipotens & benefi-
cus DEVS generi humano peculia-
riter concessit, qualia sunt literę, ar-
tes, linguę, historiarum monumen-
ta, facultas & copia propria & per-
spicua orationis, ac totum deniq; il-
lud *ἡ ἐπιτηδεύματα* genus, quod in
scolasticis communitatibus discitur.
Cumq; pars imaginis DEI in homi-
ne sit illa mirifica facultas & intel-
ligendi & intellecta eloquendi, v-
trumq; horum vult DEVS excoli, &
erudiri & cognitione essentię & vo-
luntatis

Iuntatis suæ instrui, non expectatis
raptibus occultis aut inopinatis in
angulo aliquo, vt fanatici Anabapti-
stæ aut Enthusiastæ somniant, sed
potius exercitatione doctrinæ & in-
uocationis: Vult audiri, exerceri &
acui doctrinam medijs vsitatis viuæ
& scriptæ vocis docentium: sicut cla-
rè scriptum est, Acues ea filijs tuis.
Et Paulus diserte dicit, Euangelium
est ministerium Spiritus, Et vox de
cœlo clamat, Hunc audite, & Domi-
nus ipse inquit, ἔστυν ἄτε τὰς γραφὰς.

Afirmant autem hæc omnia do-
ctrinam de DEO auditam, lectam,
cogitatam, & exercitijs discendi sub-
actam esse medium, quo DEVS dato
Spiritu sancto sit efficax in genere
humano, & non aliter. Ad hanc tan-
tam igitur rem, vt Ecclesiarum cœ-
tus, ita necesse est & Scholas esse, in
quibus consociata iuuentus discat à
DEO traditam, & à maioribus acce-
ptam doctrinam, quales olim fuerunt
Synagogæ primorum parentum ac
Patrum, Prophetarum, Baptistæ,
CHRISTI,

CHRISTI, Apostolorum, aliorumque
omnium in Ecclesia Doctorum, qui in-
de usque ab initio mundi magna secum
agmina discipulorum semper traxisse
leguntur, quorum exempla ut imita-
rentur p̄ in posteritatis Ecclesia con-
stitutis docentium & discipulorum coe-
tibus, iam olim traditum est praeceptis
Pauli toties repetitis, ut cum ad Coloss.
3. dicitur, Sermo CHRISTI habet
inter vos abunde in omni sapientia.
Et Timotheum iubet attendere lectio-
ni, exhortationi & doctrinae: & ad
Titum expresse de puerili institutio-
ne dicitur, *Μουδανέτωσαν οἱ ἡμέτεροι, &c.*

Iam verò ad hæc summa atque gra-
uissima discendi & docendi opera
atque officia, in tanta confusione & mi-
seria rerum humanarum & afflictio-
 Ecclesiae statu, praesertim in hac lan-
guida mundi senecta, cum p̄s omnia
bus maxime opus sit, ductu, authori-
tate, praesidio, sumptibus, & defensio-
ne summorum ordinum. (Non enim
priuatarum facultatum opus sunt do-
ctrinae & studiorum conseruatio, ac

E durabis

durabilis ad posteritatem propagatio) dubium esse nemini potest, præclarissime mereri pios & Principes, & gubernatores ciuitatum, qui huius rei curam serio suscipiunt, ac sibi persuasum esse paciuntur id, quod res est, nullo se ampliore ad DEVM & homines beneficio ciues suos afficere posse, quam si dent operam, vt & Ecclesiæ recte doceantur de DEO, & Ecclesijs adiungantur recte constitutæ Scolæ, in quibus tenera ætas erudiatur & doctrina cœlesti, & artibus ad doctrinæ explicationem necessarijs, ac honesta disciplina in officio contineatur.

Hæc est, inter multas alias, verè grauißima erigendarum Scholarum & præcipua causa, quæ scilicet propagationem gloriæ DEI in doctrinæ cœlestis inter homines communicatione intuetur, & cum æterna omnium vita & salute coniuncta est, quam si qui gubernatores politici, vt rem aut parui momenti, aut ab officio suo alienam, negligunt, næ illi parum intelligunt

telligunt vel metas vel magnitudi-
nem suæ vocationis.

Nequaquam enim simus ita fatui,
vt imaginemur nobis vulgari opinio-
nis errore, Magistratum tanquam a-
liquem Armentarium oportere tan-
tum pacem ciuilem & corporis com-
moda curare atq; tueri, vt multos scis-
mus insulse disputare: Sed sciant
omnes conuersi ad DEVM, cum Ma-
gistratu funguntur, se esse ministros
DEI, vt Paulus loquitur, quos velit
DEVS & intelligere & suo loco ad-
iuuare sedulo conseruatione & pro-
pagationem veræ de DEO doctrinæ,
Sicut duci Iosuaë præcipit DEVS,
Non recedat volumen legis ab ore
tuo, Et in Esaia dulcissime dicitur,
Reges fore nutritios Ecclesiæ & Re-
ginas, id est, honestarum vrbium Ma-
gistratus, nutrices.

Parentibus præcipit Paulus, vt
educari curent liberos *ἐν κυρία καὶ φόβῳ
θεοῦ καὶ κυρίου*. Iam verò, cum omnis Ma-
gistratus verè patrio munere in Re-
pub, fungatur, & bonus Rex vt quis-

E 2 dem

dem sapiens vetustas humanissime
verissimeq; dixit, nihil à bono patre
differat, nemo profecto dubitare po-
terit, rectam institutionem iuuentu-
tis ad eius ordinis curam & patrocini-
um præcipue pertinere. Sic igitur
statuant & Principes pñj, & Ma-
gistratus vrbanj, se debere hanc cu-
ram & sollicitudinem ipsi DEO, vt
adiuent & Ecclesias & Scholas, seq;
hoc ipso officio præstando gratissim-
um DEO cultum exhibere, & de
tota Ecclesia ac posteritate vt dixi,
amplissime mereri.

Ostendi in genere magnitudi-
nem beneficij, quo & Ecclesijs con-
stituendis & Scholis erigendis atq; in-
staurandis afficiuntur Respub. à pñjs
Magistratibus, ac dixi pro eo ac dici
in Christiana Schola par est, quanta fi-
eri potuit breuitate. Quod si
considerare hoc loco vellemus, etiam
cæteras vtilitates & ornamenta, quæ
ex Scholis bene constitutis ad ciuilem
vitam vberrime promanant, & ple-
nis quasi alijis redundant, quam lon-
ga esset

ga esset futura oratio? An vero non
opus est in administratione iudicio-
rum & in contractibus inter homi-
nes, & in tota vita communi, domi &
foris, aliqua scientia Iuris & legum?
In priuata autem singulorum vita ar-
te Medica ad corporū valetudinem
tuendam? Arithmetica & Astrorum
doctrina, & anni descriptione, atq;
multarum artium adminiculis ad om-
nes partes vitæ humanæ? quæ pro-
fecto sine illis Cyclosum confusio,
vel belluarum potius colluies fu-
tura esset. Quid? quod experiun-
tur omnes Principes & gubernato-
res in omni magna & parua admini-
stratione in Ecclesia, in curia, con-
silijs, iudicijs, legationibus & id ge-
nus infinitis alijs muneribus domi vel
foris obeundis, cum aut dicendum
aliquid est, aut scribendum, sæpe in
vno aliquo docto viro plus Reipub.
momenti & præsidij esse, quam in
multis alijs ἀπαίδευτοις & Scolastico-
rum studiorum rudibus, quamuis ta-
les dotibus naturæ non contemnen-

dis interdū videantur excellere. Intellexit quantum in Scolis momentū situm esset Iulianus Imperator, quem Apostatam nominauit antiquitas, doctus quidem & ipse, Nam Athenis Nazianzeni condiscipulus fuerat, sed & improbus & ad nocendum exquisitē astutus, qui cum Christianos peius cane & angue, vt dicitur, odisset, & eorum cœtus cum religione funditus deletos, & ex politijs ac quantum in se erat, rerum natura sublatos vellet, propositis immanibus edictis prohibuit, ne ipsis Scolæ studiorum eloquentiæ & optimarum artiū vllæ concederentur, & ab alijs vbicunq; essent, omni seuitia arcerentur. Quantumuis malus ille, vel potius sceleratus esset, illud tamen sapienter videbat, fundamenta & neruos Politicorum regiminum esse studia & eruditionem literarum, quibus saluis & florentibus adimi nequaquā posse Rebuspub, eam beatitudinem, præsidia, & ornamenta, quæ Tyrannus iste Christianis cœtibus inuidebat.

Sed

Sed omiffa hac commemoratione,
quæ quali noui argumenti est, vt ad
id, quod in præfentia dicere folum
volui, redeat oratio, Cum præcipue
conditi fimus ad illas magnas res, ad
agnitionem, inuocationem & cele-
brationem DEI, deinde ad confo-
ciationem lucis, vitæ, & gloriæ ætera-
næ cum DEO, quæ fuma bona in-
ftaurantur in genere humano, in hac
quidem vita, potiffimum ministerio
doctrinæ fonantis in Ecclefia DEI,
hoc ipfum autem Ministerium fine
Scolis, quæ doctrinam ex fundamen-
to, adminiculis literarũ, & artium ac
linguarum instrumentis tanquam à
DEO datis organis extruunt, nec
poffit diuturnum effe, nec propagari
ad pofteritatem, gratis erga DEVM
& pios Magiftratus animis agnofca-
mus hoc fumum beneficium, quod
piarum Scholarum feu conftitutione
feu inftauratione fubditis exhibetur.

Iudicarunt hanc curam ad offi-
cium fuum pertinere, in eoq; laudem
quæfuerunt omnes omniũ temporum

E 4

boni

boni Principes in Ecclesia, & cœtus
Scolasticos instituerunt, non solum
veteres illi in populo DEI fortissimi
& sapientissimi duces, Ioseph, Moy-
ses, Dauid, Salomon, Ezechias, Ios-
ias, Cyrus, Philadelphus, Sed etiam
nostri illi summi Imperatores, Con-
stantinus, Theodosius, Carolus ille
Magnus, Ottones & alij multi qui
condiderunt cultui diuino, non so-
lum templa, sed & opulenta illa col-
legia Canonorum pio studio tan-
quam Scholas erexerunt, vt essent du-
rabilia ad posteros pietatis, doctri-
næ, & studiorum Religionis domi-
cilia. Quorum omnium & consi-
lium pium & munificentia erga Ec-
clesiam omnium seculorum monu-
mentis merito laudata est, Sed in his
cum progressu temporum studia vel
ambitione pomparum aulicarum vel
inertia paulatim negligenterentur, ve-
lut humana omnia fato

In peiusq; ruunt retro & sublapsa feruntur,
vt optimus Poëta cecinit, successerunt
Monasteria consilio primum bono,
sed

sed euentu in posteris malo, extru-
cta & illa quidem, vt apparet, magnis
sumptibus, sed subinde cæremonijs
sic onerata, vt non solum studijs do-
ctrinæ aut parum aut nihil tribuerent
temporis, sed etiam mature in super-
stitiones penè Ethnicis similes, & nus-
gas plus quam aniles degenerarint.
Quibus malis vt mederentur aliqui
pij & sapientes Reges ac Principes,
tandem ad extruendas vniuersales
Scolas, quas imitatione veterum A-
thenarū Academijs nominarunt, an-
tiquorum Collegiorum reditus tran-
stulerunt, additis alicubi propter &
temporum difficultates & precia o-
mnium rerū ad victum necessariarū
crescentia, nouis stipendijs & redi-
tibus annuis, priuilegijs etiam & im-
munitatib. docentium & discentium
ordini attributis verè Regia libera-
litate amplissimis, quemadmodum de
multis & Austriacæ domus, & Galliz
cæ gentis Regibus optimis, & patrū
memoria de Rege Danico CHRIS-
TIANO, postea de alijs Imperij Ro-
mani

mani Principibus, Saxonis, Palatinis, Megalopyrgensibus, Pomeranicis, & plerisque alijs etiam nostra memoria, sed cum primis de liberalissimo Principe A V G V S T O Saxoniae Electore possemus prolixè dicere, quorum omnium in erigendis, iuvandis, fouendis & ornandis Academijs sapientia, pietas & munificentia extitit singularis, quæ & DEO procul dubio grata, & ipsis ad omne tempus honorifica, & fruuentium perpetua prædicatione clara ac celebris, & posteritati propter doctrinæ in magnis & varijs artibus propagationem salutaris futura est.

Talium gubernatorum beneficentiam considerent omnes pii, & grata commemoratione prædicent, & DEO gratias agant, & castis ac pijs precibus ab eo petant, vt pia studia Magistratum in fouendis Academijs, in alendis pauperibus scolasticis, in statuendis præmijs studiorum, clementer & confirmet & augeat, cum quidem illi nec seculo suo nec posteritati
bonum

bonum aut melius aut maius conferre nullum profecto possint.

Sed ut ad id tandem cuius causa hæc nobis suscepta oratio est deveniamus, Ut semper in hac misera rerum humanarum conditione ἐν πάσι ἐσθ' λόγ' πῆματα σὺν δ' ὕο δ' αἰὼν' ἔροτοῖς ἀθάνατοι, ut Pyndarica Ode queritur, Itam, postquam & DEI beneficio & Principum Munificentia, ut dictum est, pleræque in Germania Academiae præclare constitutæ & celebres sunt, huic tanto seculi nostri bono quædam pestis adiuncta est, quæ nisi sapientia & consilio, & opera matura gubernatorum provideatur, haud scio metuendum ne magis sit, an potius iam fieri incipiat, ut tristes doctrinae cœlestis & artium bonarum ruina & barbaries ferox, ac illa veteri, quam sub Monachorum regno pertulit orbis Christianus, multo tetrior subsequatur.

Quæ tandem est illa tanta lues, & tantum malum? inquit aliquis. Id verò utinam in nescio quo fatali stupore,

Stupore, & ferocia nostrorum hominum tam medicinam admittat, quam est commonstratu facile. Quod quidem etsi deprauatae licentiae, leuitati, & petulantiae ingeniorum seculi huius ita tetrum aspectu prima fronte fortasse non videatur, sapientes tamen & boni, cum cogitant, quibus fundamentis nitii optimarum rerum ad posterios propagationem oporteat, facile intelligunt atque vident, quam foedam à tergo caudam hæc lues trahat, minitantem nisi prouideatur, omni culturae pietatis, & omni doctrinae optimarum artium & humanitatis exitiale venenum atque interitum.

Ea est, ne longa ambage utamur, disciplinae in tenera ætate laxatio quaedam ferè vniuersalis, & vel neglecta ac leuiter admodum curata, à quibus oportebat, vel etiam peruersa primi Tyrociniij institutio, & ruina earum Scolarum, in quibus prima fundamenta doctrinae pietatis & literarum ac linguarum adolescentiae iacienda & firmitus ponenda, & animi
iuuenis

iuueniles natura feroculi honestæ di-
sciplinæ exercitijs refrenandi, & ad
præstandam in discendo & in omni
ni humanitatis & virtutis officio assid-
uitatem & promptitudinem adsue-
faciendi, & ad Academiarum doctrin-
as ac studia iusto ordine & ingen-
ijs conueniente præparandi erant,
priusquam liberius viuendi haberent
potestatem,

Iam vero perfunctos se esse existi-
munt passim urbium gubernatores
officio curatæ iuuentutis, si habeant
aliquam Scolam verè, vt vulgo voc-
cant, triuialem, qua puerilis & ado-
lescens ætas post inflexiones nomi-
num & verborum, quodam vsu par-
uo illam vulgarem, inertem, & illite-
ratam latinam discat, quam ubi
adolescentes vtcunq; hauserunt, mit-
tuntur postea in Academiâs, ad quas
nec doctrinæ Christianæ Cateche-
sin, nec Grammaticæ vsum aliquem,
nec artiũ dicendi initia, nec elegan-
tioris literaturæ ex bonis authoribus
gustum, quo à prima ætate statim im-
bui eos

bui eos oportebat, adferunt, vt de
Græcæ linguæ primordijs, de opti-
morum Poëtarum delibata lectione,
de styli aliquo vsu ad veteris elegan-
tiæ & puritatis imitationem institu-
to, de versificatione mediocri, & id
genus alijs multis exercitijs nihil di-
cam, quæ adferri in Academias ab ijs
qui cum aliquo fructu in illis versari,
nec diu herere isthic ac sumptus susti-
nere possunt, oportere, facile omnes
mediocriter docti & prudentes intel-
ligunt. Ad hanc vero inscitiam & ruz-
ditatem, si quemadmodū fit & in plu-
rimis experti sumus, accessit etiam
domi praua, mollis, & indomita atq;
expers disciplinæ educatio, quid ob-
secro talis vitulus, quamuis stratura
aut etiam ætate grandis in vitæ liber-
tate & Academijs faciet, nisi quod
est apud Poëtam, Gaudebit equis,
canibus, & aprici gramine campi,
ne quid grauius dicam, neglectis in-
terim lectionibus, quarū nullam in-
telliget, & ferociter fastidita omni
honestâ disciplina, ad quam nunquā
fuit

fuit adsuēfactus. Quod si etiā natura aut domestica institutione bonus eò venerit, tamen vel exemplis sodalicij & dissolutioris vitæ in alijs contagio corrumpetur, aut certe, si vitæ suæ modum aliquem, quod genus rarissimi sunt iuvenes, habere poterit, cum tamen rudis fundamentorum necessariæ doctrinæ & exercitiorum accesserit, vel Quintiliano teste, ruinam omnium quæ superstruxerit, experietur. Ac notum est de hoc genere discentium antiquus versus melioris quidem sensus quam artis,

*Parisios stolidum si quis transmittet Asellum,
Si fuit hic Asinus non ibi fiet Equus.*

Quanta autem huius generis Scholasticorum passim multitudo sit, quos ocium & cibus alienus & vitæ licentia deteriores facit,

*Ante oculos interq; manus sunt omnia nostras,
vt ille inquit. Vnde quanta clades
publicis doctrinæ studijs & virtuti ad
posteritatem immineat, cohorresco
cogitans, & mecū deplorant omnes
boni*

boni & sapientes viri. Ac multis
verbis de hoc tetro malo dicere pos-
sem, si delectarer contrectatione
huius pestis, ac non potius flagrarem
cupiditate, si possem, remedia saluta-
ria adhibendi meo loco.

Sed causa tanti mali est, ut dixi,
præcipua Scholarum, quas si libet vo-
cemus ita sane, particularium ruina
atque neglectio, quæ tales instituendæ
erant, ut in fundamentis adolescentia
paulo & diligentius & diutius erudi-
ri & exerceri posset cum mediocri
disciplina ei ætati conueniente &
idonea. Tales Scholæ eo etiam magis
necessariæ erant, quod nescio quo fas-
to domestica parentum educatio flac-
cescit quotidie magis, ac mollior fit
atque indulgentior. Hæc igitur eo
pertinet oratio, ut intelligatis audito-
res, quam veram & iustam laudem
ac celebrationem & inclytæ Imp:
Maiestatis, quam honoris causa cum
subiectissimæ obseruantia, pietatis,
& obedientiæ testificatione toties no-
mino, benignitas & beneficentia, &
verò

verò sapientissimi Senatus officiosa
erga ciues suos sollicitudo, cura, & li-
beralitas & in præsentia & apud pos-
teros mereatur, quorum vtriusq; be-
neficio hæc Scola hodierno die ape-
ritur pueritiæ & adolescentiæ com-
munis patriæ & vicinarum regionū.
Pro quo præclaro munere cum pri-
mis & DEO æterno patri Domini
nostri IESV CHRISTI cum Filio &
Spiritu sancto, qui corda gubernan-
torū flectit ad salutaria Reipub. cons-
ilia, & D. Imperatori Domino nos-
tro, & inclyto Senatui immortalis
& agenda & habenda est gratia. Pro
quibus & DEVS inuocandus est ad si-
dua precatatione, vt ipsis pro tam pa-
terna cura de subditorū & iuuentutis
commodis ac beatitudine, vicissim
& longiora vitæ spacia, & tranquilla
gubernationem tribuat, & auctis
aliquando Reipub. fortunis, accisis
alioqui iam & attritis nonnihil tem-
porū calamitatibus, diuina gratia sua
& seruet eos & confirmet, & subinde
augeat in animis eorū hanc honestis-

F

simam

simam voluntatem de Ecclesijs, Scolis, Repub, & posteritate bene merendi.

Ostendatur & gratitudo ipsa re, videlicet petendis à DEO incrementis Scolæ, & præstandis officijs veræ pietatis & obseruantiaë debitæ incluzo Senatui, Item reuerentiaë erga sacrosanctum ministerium docentium in templis & Scola, & promptissimaë obedientiaë erga leges Scolæ deinceps suo tempore promulgandas, pro eò ac omnes veræ pietatis & liberalium artium alumnos constanter facere decet. Nec vero est, quod quisquam dubitet, quin & ipse DEVS hanc Rempub, eo benignius complexurus, & accessione fortunarum larga, atque incrementis maioribus sua bonitate amplificaturus sit, quò hæc ciuitas liberalioribus officijs & Ecclesiam & Scolam profecutura est, vt & scripturæ sanctæ testimonijs, & historiarũ exemplis illustribus doceri posset, si hæc non esset iam alterius temporis doctrina atq; commonefactio.

De

De me autem, meaque voluntate, cui
gubernatio studiorum committitur,
quoniam & alio loco à me copiosius
dictum est, & hæc ad finem festinat
oratio, quod res est verborum com=
pendio dicam. Ex Academia dulciss=
sima studiorum meorum à primis ado=
lescentiæ annis informatrice inclyta
Vuiteberga in qua honesto loco &
stipendio proximis annis ferè nouē
partem publicorum laborum libenter
sustinui, nulla alia re rursus me auo=
cari & in hos pulueres protrahi pass=
sus sum, quam vero studio & pia vo=
luntate gratificandi communi patriæ
& succurrendi labentibus passim re=
ctis pueritiæ & adolescentiæ studiis
in Germania & vicinis regionibus,
atq; aliquam opem ferendi pro mei
ingenij, doctrinæ & virium corporis
in ætate iam ingrauescente tenuita=
te, quas equidē, sentio ipse, quàm sint
exiguæ, sed sustento me spe & fiducia
indubitata DEVM optimum maxi=
mum & clementissimum, qui in om=
ni piorum vita & actionibus solus

est, ὁ ἐνδοξῶν Ἐὐδ' οὐκία, ἢ Ἐνδοξῶν ὑπερ
τῆς ἐυδοκίας, vt D. Paulus loquitur, id
est, Qui solus efficit vt velimus & fa-
ciamus grata DEO ipsi, & hominibus
salutaria: Eum igitur confido mihi
in hoc honestissimo proposito voca-
tionis meæ, ad piæ adolescentiæ stu-
dia vtiliter & fructuose iuuanda vi-
res & ingenij & corporis benignis-
sime confirmaturū esse propter glo-
riam nominis sui & Ecclesiæ aliquam
utilitatem, Euentum autem, qui in
omnibus rebus humanis in DEI po-
testate est, nec ab vlllo homine præ-
stari aut potest aut debet, sperabimus
à diuina benignitate optimū, & qui-
cunq; contigerit, non æquis solum ac
placidis, sed etiam gratis & DEO se-
se subiicientibus animis feremus, vt
à Christianis fieri debere sani & pij
omnes intelligunt.

Recipio igitur in fidem meam
hunc cœtum scolasticum, ex veteri
nouaq; Scola in vnum quasi corpus
coalescentem, eumq; vt filios meos
paterna beneuolentia complector,
meq;

meq; vicissim à Scolaſticiſ diligi vo-
lo. Sacroſanctæ etiam Imperatoriæ
Maieſtati Diuo MAXIMILIANO,
Patri patriæ, Domino clementiſſi-
mo, & inclyto Senatui huius vrbiſ
cum omni debitaſ ſubiectioniſ obſer-
uantia, polliceor fidem & ſedulitaſ
tem in tradendiſ, non ſolum boniſ li-
teriſ & artibuſ ingenuiſ, & enarran-
diſ pro mea mediocritate boniſ au-
thoribuſ Græciſ & Latinis, ſed etiam
quod DEVS præcipue requirit in
propaganda meo loco, & pro voca-
tione, doctrina Euangelij incorru-
pta, ad eum modum, vt eſt à me fa-
ctum in honeſtarum vrbiſ, Scoliſ
& Academijs totos ferè viginti tres
annos.

Ac ne quiſ mei ſit neſciuiſ, aut in-
certæ, occultæ, ac dubiæ Eccleſiæ ci-
uem, vel vagum, aut occultatorem er-
ronem ſuſpicetur, ruruſ vt & aliaſ
feci, ita in hoc publico & honeſtiſ-
ſimo conſeſſu Eccleſiæ, Reipub. &
Scolæ palàm profiteor, me pio erga
DEVM & ſyncero animo amplecti

doctrinam Euangelij, quæ tradita est
in scriptis Prophetis & Apostolicis,
& comprehensa in Symbolis Apo-
stolico, Niceno & Athanasiano,
& propagata ab Ecclesijs & scripto-
ribus antiquis, & Synodis puriori-
bus, & repetita illustri confessione
multorū Ordinum in conuentu Im-
perij magno illo Augustæ Vindeliz-
corum, Anno Domini 1530. ac de-
niq; eam, quæ DEI beneficio publica
Ministerij voce sonat in huius hone-
stissimæ vrbis Ecclesia, meq; alienum
esse & abhorrere auribus, oculis, &
animo ab omnibus fanaticis opinio-
nibus, et sectis pugnantibus cum fun-
damento, & damnatis iudicio veræ
Ecclesiæ CHRISTI. Vicissim au-
tem tam de inclyti Senatus, quam
Reuerendorum Ministrorū Eccle-
siæ, & omnium doctrina & eruditio-
ne præstantium virorum constanti
benevolentia, integritate, fide & stu-
dijs, ac honestissimorum in hac Re-
pub. ciuium officijs benigne mihi pola-
liceor, ac secundum DEVM, & sa-
cratis

cratissimam Imperatoriam Maiestatem, inclyti Senatus fidei, tutelæ & defensionî Scolam, futuros collegas, me, & fortunulas qualescunq; meas reuerenter commendo, & tandem iterum DEVM æternũ patrem Domini nostri IESV CHRISTI, qui cum Filio & Spiritu sancto solus est verus & omnipotens, beneficus, εὐλανθρωπος, ἡ ἐλεημονέστατος ἀυτοκράτωρ in cœlo & terra, conditor & conseruator generis humani, acerba vnigeniti Filij morte redempti, & Ecclesiæ suæ defensor summus & inuictus, sicut inquit triumphator Filius, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Item, Oues meas nemo rapiet ex manibus meis, &c. Eum igitur cum filio suo Domino nostro IESV Christo, & Spiritu sancto vna vobiscum clarissimi, Reuerendi & Ornatissimi viri, & cum Ecclesia & Scola toto pectore, & ardentibus gemitibus inuoco & oro, vt conseruato sacrosancto Ministerio verbi sui à corruptelis doctrinæ vacuo, & dato Spi-

ritu sancto, Ecclesiam suam Catholicam, & nos omnes ac singulos in ea inclusos, & Filio vnigenito sacrosancti corporis & sanguinis κοινωνία insertos, semper ipse doceat, gubernet & protegat, memor dulcissimæ promissionis filij Redemptoris Domini nostri IESV CHRISTI, Non relinquam vos orphanos. Item, Ecce ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, id est, perpetuo & sine fine. Et dicat

omnis populus,

A M E N.



D I X I.

ΘΡΕΠΤΡΙΑ

ΘΡΕΠΤΡΙΑ ΜΟΥΣΩΝ
ἢ ΕΥΦΗΜΙΑ.

Εὐφημίας εὐφημα δεῦτε θρέμματα,
ἑλικῶν θ' οὐ μὴ πρὸς ζυγὸν πεξώδεθ',
ἢ πηνέσ' ἀοιδίμω τὰ τέμπεα,
μέγαρ δ' ἀνάπιδ' ἰέρω ποταμῶ ῥόοι:
μυσῶν ὅπρ' ἀλάαι ἀπόλλωρ ἀγλαῶν
ἵπποιο κρήνω κάτα συνῆγε τὸν χορὸν:
ἠλύσιορ ἀλλὰ πρὸς πένδορ χωρήσατε,
ὄρη ὅπρ' ὀδοῖτα κλεινὸν νιασαίω
ῥέεθρον ἐν βίασασιρ ἐκχεῖ ὀλβίαρ.

εὐφημίας εὐφημα δεῦτε θρέμματα,
οὐ βχεβάρωρ πᾶσ' ἀντα κείθ' ὄρεσι
ταρξασόμωρ, πῆνασὸρ ἀμφὶ δ' ἰκρανορ:
γορλυσαίαρ δ' ἀλλὰ πῆλοισι παρ' ἠσυχίω.
ἰοπλόκαμοθ' ἐνταυθοῖ ἄν' εἰρηναία
ἀγλαόκορορ μὲν εὐνομίαρ τέθραφε,
ὄλβω δὲ ταμίωρ δ' ἰκλω πῶν ἀσφαλίω,
μεγισόπολιρ, ὁμότροπορ θ' εὐδίαρ,
ῥήσιορ ἀπονέμωρ ἀφθόνωρ βίορ.

εὐφημίας εὐφημα δεῦτε θρέμματα,
φόρμιγθ' οὐ μὴ δηλίδ' ἐπῆακτύπω,
ἢ γ' ὄρφέθ' ραθέσ' ἀοιδέωρ πατρὸς,
ἄλοθ' πολιαόχω ἰδεῖρ ἢ παλλάδ' θ':
πάρεδ' ρθ' ἐνταυθοῖ δεῦ' αἰώνιοθ',
χρισὸς μονογενὴς πατρὸς ὑψίστω λόγθ',
ουράνιορ ἀγέλλη κύρηξ αὐτὸς λόγορ,
ἀμβροτίαρ, ἀφθιτόντε νέκταρ ἐκχέωρ
θείοισι πεπεσμενίοισι ἀληθῶς ῥήμασι.

Ε 5

εὐφημίας

ἔυφημίας ἔυφημα δεῦτε θρέμματά,
ὅποισι θεῶν ἀπηρεοθαί ὄβρι βημάτων,
ὅποισι θεῶν ἀκῶσαί ὄβρι δεσφάτων,
ὅποισι θεῶν τεύξεοθαί ὄβρι δογμαμάτων,
ὅποισι θεῶν καθαρῶς διδάσκει νόμοι,
ὅποισι θεῶν πάντεσσι φθέγγει χάρις,
ὅποισι θεῶν σεμνοὶ κλέουσι πρεσβέων
ὅποισι θεῶν καθυμνέουσι παιδία,
ἀγνοῖς πῆσιφρόνων χοροῖς ἐν ἀγγέλων.

ἔυφημίας ἔυφημα δεῦτε θρέμματά,
φιλόξενον μὴ πρὸς πόλιν καπείρατον
καλῶν, φιλόξενον ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπων,
ἔυωνύμων πατέρων ἄωτον ὄλβιον,
πῶς μὲν μελίφθογοι θεῶν αἰ δ'μοῦάδες
φιλησίμολποι, ἐράσμιαι ἔ' ἔυκομοί,
θαλία, ἔυφροσύνη, ἀβρόστε ἀγλαία,
κῆπον φυτέουσι θεοῖσιν ἐνδοξον,
ἔν' ἀνθεσιν θάλλοντα δ' ἠπὸς παμποίοις,
γορλυσαίδες σέψουσιν εἰς τάχ' ἰκέρδεις.
ἔυφημίας ἔυφημα χαίσετε θρέμματά.

Laurentius Ludouicus
Leobergensis.

EPIGRAM

EPIGRAMMA IN NO-
VVM GYMNASIVM IN-
clytæ vrbis Gorlicensis.

Fucatos alij passim mirentur honores,
Et stupeat Midas semper auarus opes.
Atria suspiciant alij ambitiosa potentum,
Et sua, quæ grata est, quemq; cupido iuuet.
Me uero dulces capiant ante omnia Musæ,
Et sacer ingenuis artibus ordo uacans.
Abdita turba sumus pulcris secessibus, isthæe
Nam loca sunt studijs commodiora bonis.
Hic iuuat autorum ueterum cognoscere scripta,
Naturæ uarias & didicisse uices.
Hic libet historias, hic conscia sydera fati,
Scrutari, & sanctæ religionis opus.
Ergo sit faustum patriæ sit & utile terræ,
GORLICIA Musis quod datur urbe locus.
Nam uelut Isacidæ concessit Amygdalus umbram,
Hospes ab Assyrijs cum remearet agris:
Sic passim exulibus Musis spretisq; Camœnis,
Elysijs montes ocia grata dabunt.
Hic igitur uigili studio tractabimus artes,
Noster & Aënio puluere curret equus.
Tu modo CHRISTE λόγος, sine quo labor irritus
Esto precor nostri duxq; paterq; chori. (omnis)
Robora tu Doctrinæ operas facientibus adde,
Imbueq; afflatu corda tenella tuo.

Tuno

Tunc ut Amygdalinis Musas recolemus in hortis,
Laudibus & Scola erit dedita tota tuis.
Hinc tibi in Elysijs succrescent montibus herbae,
Quae tibi, quae patri, germina grata dabunt.

Bartholomæus Andreas
Silesius.

IN NOVAM SCOLAM
A VSPICIO INVICTISS,
Cæsareæ Maiestatis instaurationis
tam ab inclyto Senatu
GORLICENSI.

Gratia magna uiris habita est illustribus olim,
Vindice qui patriam demeruerè manu.
Hinc passim toto celebraris in orbe Camille,
Præstans ô patriæ duxq; decusq; tuæ.
Et tua magna canunt Romani Scipio facta,
Et pugnas memorant, AEMYLIANE, tuas.
At quantum bellis pax alma ferocibus anteit,
Et cedunt placidis scilicet arma togis,
Tanto debetur maior tibi gratia Cæsar,
O maior meritis AEMYLIANE tuis.
Auspicio cuius media inter prælia gaudet,
GORLICIVM doctas constituisse Scolas.
Commoda suauiloquis ut sint domicilia Musis,
Quae cum laude DEI dogmata culta sonent.

Nomine

Nomine & hoc merito celebratur in urbe Senatus
GORLICIA, qui dum Caesar ad arma uocat,
Caesaris auspicio concessa palatia Musis
Instruit, & doctis usibus apta facit.
Templaq; iam pridē Monachorū structa prophanis
Cultibus, Aōnidum sedibus apta locat.
Sit laus prima DEI, sit Caesaris AEMYLIAN
Proxima, constabit nec minor urbis honos.
Cuius nunc celebrate uiros, iuuenesq; senesq;
Quos alit Elysius, quos peregrinus, ager.
Dicite carminibus laudes, pia facta referte
Pierides, summo dicite grata DEO.
Tuq; Ô CHRISTE DEVS, sine quo labor irritus
Seruiat ut laudi da scola tota tuæ. (omnis,
Dirige doctorum linguas, rege corda iuuentæ,
Daq; nouum ut fausto sydere surgat opus.


Georgius Florschütz
Vratislaviensis.



Gorliciaë
EXCVDEBAT AM
BROSIVS FRITSCH,

ANNO

M. D. LXV.




Pon 1/16. 1306


ULB Halle 3
004 831 012



1306







ORATIONES DVAE ET EPIGRAMMATA QUAE
DAM DE INITIIS NOBIS
VBIUS SCOLAE.

AVSPICIIS ET MVNIFICENTIA D. MAXIMILIANI
Imp. Augusti,

ET CVRA, SOLLICITVDINE,
ac sumptu inclyti Senatus
Gorlicensis extractae &
instauratae

PETRO VINCENTIO VRATISL.
*Piae doctrinae & optimarum artium
in hac Professore ac primo
Rectore.*

GORLICIAE

ANNO

M. D. LXV.

